

IOSEPHI BONFADII
DE
CIVILIS ADMINISTRATIONIS OPTIMA FORMA.

DISPVTATIO

Aduersus oppugnantes Aristocratiam.

Præcipuè verò { Ioannem Bodinum. Guilielmum Barclaium, atq; Iustum Lipsium.

AD

SERENISSIMVM
LEONARDVM DONATVM
Ducem Venetiarum, &c.



PATAVII, M.DC.XI.
Apud Laurentium Pasquatum.
Superiorum Permissu.

SERENISSIMO
SAPIENTISSIMOQVE
PRINCIPI
LEONARDO DONATO
Venetiarum Duci, &c.



Iosephus Bonfadius.



VINAM verò de optimo genere Prīcipatus par eſt magis cognoſcere, ac ſententiā ferre, quàm tibi PRINCEPS OPTIME, atque

SAPIENTISSIME? qui ſicut ingenio plurimum, ita quoque vſu vales, cùm inſigni peritia ciuilium rerum, quæ comparatur ex hiſtoria, & philoſophia, tùm longa tractatione Reipublicæ diu, multumq; eruditus, quò vt primùm per leges licuit, acriter aggreſſus, & perfunctus honoribus maximis quibusque, ad præclariſſimam floreſcentibus exiſtimationem ſingularis prudentiæ, atque integritatis, ad hunc tandem celſiſsimũ dignitatis gradum, in quo

maie-

maiestas elucet Reipub. summa, conscendisti. Hoc tamen in genere, & maiora, & illustriora constiterunt in Rempubl. tua, vel officia, vel merita, quàm quæ profecta sunt à Repub in te cuncta ornamenta. Hæc enim virtuti tuæ palam debebantur, neq; verò magis honorifica tibi, quàm ipsi acciderunt; illa constat non modò fructum, sed etiam salutem laborantibus rebus attulisse. Profectò si quo alio nomine, vel hoc ipso precipuè, vniuersis ordinibus est exi-

ſtimandum præclariſſimè, atque optimè ſecum actum, quòd ſibi diuinitus planè is Princeps contigerit, qui publicæ meminerit dignitati, non vllis priuatis commodis ſeſe natum, turbulentiſsimisq; temporibus ad clauū ſederet, qui præſtantiſsimi robur ingenij, atque auctoritatem eo conferendam, conuertendamq; ſibi exiſtimaret, vt tempeſtates fœdiſsimas declinaret, & ſartam tectam rempublicam conſeruaret in priſtina ſua quiete, ac tranquillitate. Fructus

igitur

igitur ex te vberes admodũ, ac lætos, PRÆSTANTISSIME, atque AMPLISSIME DUX, Resp. tulit, & in dies feret vberiores, atque lætiores. Nam ciues Principem suum suspicere soliti, tanquam lumen quoddam sublatum ex altissima specula, seseque ad exemplum illius fingere, & componere, quem præcellere omnino persuasum habent, tuam incredibilem in prospiciendis rebus acrimoniam, & in gerendis solertiam, atq; alacritatem, iusti

tiæ pariter, ac pietatis non minùs tuendæ, quàm publicæ maiestatis ardentißimũ studium cum admirabili vitæ innocentia perpetuò coniunctum; hæc, & alia tua decora summa contemplantes, quorum laudibus ipsa prima quoque adolescentia, non modò integra, & corroborata isthæc ætas floruit, ad ea te Auctore, atq; Duce incitati, & erecti, pro se quisq; in contentione virtutis excellentiùs se gerere, atq; ita Reip. nauare operã studebit, vt sibi ad amplißimos

mos honores aſpirare liceat. Sed immortalia tua in Rēp. merita, & celeberrima præconia virtutis tuæ, quorum cauſſa, vel apud barbaras, & longinquas nationes immenſa, & nunquam intermoritura gloria circūfluis, complecti oratione hac perbreui non eſt mihi conſilium. Dabitur, ſi quidem facultas ſuppetet, atq; ocium, de rebus tuis ampliſsimis dicendi opportunus locus. Nāque illos conuincere ſtatui, qui præcipuas Venetæ Reip. laudes obſcurare, atq; omne

falſis

*falſis obtrectationibus obtere-
rere decus, inani quidem illi
conatu, connituntur tamen,
ementiendo, atq; litteris mã-
dando, quæ vel è parum ſin-
ceris fontibus hauſta ſunt,
vel longè ſecus, quã par eſt,
ab ipſis accepta. Veruntamẽ
huic diſputationi, quam ſum
aggreſſurus, præmunienda
exiſtimaui hæc pauca in præ
ſentia, tuoq; nomine, et au-
ſpicijs in vulgus edenda,
quæ de Summa præſtantia
Ariſtocratiæ aduerſus è re
centioribus quoſdã ſum elu-
cubratus, qui Ariſtotelicæ*

diſci-

disciplinæ, rationi, ac naturæ tradiderunt haud consentanea, immò pleraq; absurda. Quod si hæc mea non ingrata tibi accidisse intelligã, quodq; opto, ac spero, tuo acerrimo iudicio probari; excitabit hoc industriam meã, atq; exacuet acrius, vt opus institutum vigeã, & absoluã. Te, tuaq; SERENISSIME PRINCEPS, Deus consilia fortunet, ac Rempublicam ipsam tuæ fidei, ac prudentiæ commissã. Vale. Venetijs M.DC.XI XI. Kal. Martias.

INDEX CAPITVM.

Quid administratio ciuilis, quot ex rebus constet, & in qua sita sit eius vis precipua. Vt ceteras omnes formas, ita vnius imperium nullo diuino iure sancitum esse. Antiquissimum esse quidem illud, & communissimum omnium, sed ex ijs rebus eidem nihil dignitatis accedere, quidquid notandum, monendumq; duxerit IVSTVS LIPSIVS. Quibus de causis institui cœptæ Respublicæ multis ætatibus, atq; adeò sæculis post regna, per quã optimè ab Arist. explicatum. Quæ contra GVILIELMVS BARCLAIVS obijcit, nullius esse ponderis. De collatione priscorũ temporum cum nostris non longa digressio.

CAPVT PRIMVM.


Ratio Aristocratiæ instituendæ quænam ex Aristotele. Cõfutatio eorum, qui docent, optimatum imperium non suapte natura, & simpliciter expetendum, sed vitio, & imbecillitate humanæ naturæ. Quonam modo multi plus sapere dicantur, quam vnus, & longa disputatio aduersus BARCLAIVM, hoc, & alia quædam axiomata frustra conuellentẽ.

CAPVT SECVNDVM.

Cuiusnam

tur, allatis auctorum varijs in medium sententijs, vbertim, accuratèq; disputatur: Opiniones duę præcipuè examinantur, altera Caietani, altera Tostati. D. Thomæ sententia, & Sigonij probatur. Sacrarum litterarum testimonio superiore proximo capite tradita confirmantur. CAPVT QVINTVM.

Quinque pręcipuæ conditiones optimi imperij, & aliæ quædam cum ijs connexæ, atq; implicitæ exactè perpenduntur, & examinantur, & non minus Aristocratię, quàm Regno conuenire ostenduntur. Quæ contra disserunt aduersarij, cuncta refelluntur. Summa totius disputationis, atque breuis epilogus. CAPVT SEXTVM.



ERRATA.

Pag.19. Non ne nonne. 27. ὑπέμμενον ὑπέμενον. 29. diictum dictum. 30 qui primis qui primus à primis. 39. vigent. Nam, in eadẽ linea. 45. exequari exæquari. 46. tum inibi ita inibi. 47. conictu conflictu. 62. historijr historijs. 68. non pauca præstantia non pauca. Præstantia. ibid. super ius superius. 69. ἴσε ὥσε. 70. excellentiam excellentia. 73. tunc tunc. 79. incælesti in cælesti. 87. adsciscunt adsciscuntur. 91. horũm non item. horum autem non item. 92. βελτίον, βελτίων. ibid. ἀπό τελόμενον ἀποτελόμενον. ib. à melioribus è melioribus 93. possunt vt effugere possunt effugere. ib. ab obeundũ ad obeundũ 103. ὥσπέρ ὥσπερ. 111. excœat excœcat 129. in adagio vteri in adagio veteri. ibid. si enim princeps is enim princeps. 131. sanxetit sanxerit. ibid. est amentia est amentiæ. 138 adamussim ad amussim. 144. affert affertur. 148. iam superiùs attuli iam inferiùs afferam. ibid abiecernnt abierunt. 153. & cum sequeretur & cum insequeretur. 160. attendebat attendebant. 164. & 165. impune patrentur impune vt patrentur. 173. humana sunt omnia humana sint omnia. 186. fabel.ls fabellis. 188. tot, tantibusq; tot, tantisq;.

Quidquid aut in orthographia variatum, vt causa pro caussa, aut in interpunctionibus vitiatũ, quod non semel accidit, aliaq; errata id genus animaduertere, atq; emendare si libeat, nulli non licebit.

Ego Marius Mazzolenus Theologus, & in Paduano Gymnasio publicus philosophiæ professor, mādato ac nomine admodum R. P. Zachariæ de Rauenna generalis Pataunii Inquisitoris legi diligenter præsens opus, de Ciuilis administrationis optima forma, & quoniam insigni eruditione ac doctrina pari cum eloquentia coniunctum esse animaduerti, ac propterea studiosis omnibus perutile futurum existimo, dignissimum esse testor, quod typis mandetur. Dat. Pad. 1610. men. Octob. Die ix.

Stante supradicta fide. Imprimatur.
Mutius Carandinus Vic. Gener.

Qua stante fide Reu. P. Inquisitor Paduæ concessit imprimendi licentiam.

Fr. Zacc. manu propria.

Imprimatur. Octauius Liuellus pro Ser. Rep. Ven.


1611. xxij. Ian.
Imprimatur, &c.
Blasius Sappius Coad. Pr. sub.

IOSEPHI BONFADII

De Ciuilis administrationis optima forma

Aduersus oppugnantes Aristocratiam

Precipuè verò IOANNEM BODINVM, GVILIELMVM BARCLAIVM, atq; IVSTVM LIPSIVM Disputatio.





ETVS, & perdifficilis est ea controuersia, quæ semper hominũ doctissimorũ exercuit ingenia; inter ciuilis administrationis simplices formas, quęnam potissimum excellat, & su-

per omnes emineat. Habent quidẽ ſingulæ defenſores, patronosq; ſuos; Reſpublica popularis haud ita multos; multis partibus autem plures Ariſtocratia; ſed omnium plurimos Monarchia, hoc eſt Regia poteſtas: vt ſi rei veritas expetenda, ſpectandaq; ſit ex multitudine teſtimoniorum, atq; auctoritate, in eam ſententiam conuenire neceſſe ſit, in quam videmus auctores plurimos, & maximos vel implicatos, vel propenſos maximè fuiſſe. Hoc enim vt validiſſimum argumentum lib. I. contra Monarchom. vrget nobiliſſimus, atq; eruditiſſimus vir Guilielmus Barclaius, qui de Regno & Regali poteſtate ſcripſit eleganter; Philoſophos, Oratores, Poetas, Hiſtoricos, atq; etiam ipſos Theologos, & Iuriſconſultos in eo conſentire, vt inter varias ciuilis adminiſtrationis formas præcellere omnino ſtatuant

Monar-

Monarchiam; proindeq; totius antiquitatis iudicio atq; teſtimonio certiſſimum eſſe de hac re pręiudicium factum. Quę tamen potius magnificè, quàm verè iactantur. Nam ex antiquis nec paucos, nec vulgares philoſophos plus Ariſtocratiæ, quā Regno tribuiſſe conſtat: in quorum numero (vt ceteros omittam) Ariſtotelem, & Platonem fuiſſe perſuaſiſſimū habeo, illa duo philoſophiæ pręclariſſima lumina. Deinde vir ille non meminit, quod meminiſſe oportuerat, Imperatoris Iuſtiniani prudentiam in eo ſe agnouiſſe, & nō exiguis laudibus celebraſſe, quod hæc diſertè præceperit, & mandauerit ijs, quibus negotium dediſſet Pādectas conficiendi. *Sed neq; ex multitudine auctorum, quod melius, & æquius eſt, iudicatote; cum poſsit forſitan deterioris ſententia & multos, & maiores in aliqua parte ſuperare.*

Ex hac enim auctoritate probare cō tendit, non facilè in eam ſententiam concedendum eſſe, quæ plurimorū aſſenſu comprobetur. Hoc autem in philoſophia maximè verum eſt, ſi quo in alio genere. Nam quicūq; rectè philoſophari, ſolidèque inſtituunt, eos non tantùm quid alij dixerint, atq; verum duxerint, ſed qua ratione duxerint pariter, & dixerint, oportet inueſtigare, ac exactè conſequi, animoq; planè libero ſtudium ſuum nauare, vt tandem pateat, quid verum, & quid falſum ſit, non minùs ętati ſuæ, quàm poſteritati.
Fecit ea cogitatio nitens ratione, vt rem, quę eſſet in manu, dijudicare noluerim ex alieno potius, quàm ex meo ſenſu: ideoq; argumenta conquiſita vndiq; collegi, & collata in vnum probè cuncta examinaui, vt intelligerem, quid, & quantum haberent momenti, vniuerſorum Mo-
narchię

narchiæ primas deferentium; qui tamen omnes non ſentiunt eadem, neque probant. Nam quidam vnam præconijs hanc in cælum ferunt, reliquas formas deprimunt, & prorſus abijciunt, vt alienas à natura, nõ ignobiles modo. Nonnulli vero diſtinguentes rem hoc modo tẽperant: abſolutè, ſimpliciter, & ſuapte natura vnius adminiſtrationem præſtantia excellere; vitio tamen atq; hominum culpa fieri, vt expediat minùs vni, quam pluribus rerum ſummam committere. Quapropter non ipſius naturæ cauſa, & ratione, ſed humanę duntaxat imbecillitatis, vti ſe videri, vt ſit permiſta, & coniuncta cum Regio ſtatu quædã ſpecies, & forma Ariſtocratiæ. Nam quæcunq; ſunt neceſſaria optimæ Reip: multò faciliùs in pluribus inueniri, quàm vno; quandoquidem ſummus omnium rerum moderator Deus a-

lijs alia ornamenta, muneraq; elargitus est, quæ si ad communem vsum Reipub: pariter conferantur, ex omnibus absolutissimum quid conflari queat. Hic locus ex Arist. videtur expressus, apud quem lib. tertio Polit. leguntur hæc verba. *Τοὺς γὰρ πολλούς, ὧν ἕκαστός ἐστιν οὐ σπουδαῖος ἀνήρ, ὅμως ἐνδέχεται συνελθόντας εἶναι βελτίους ἐκείνων, οὐχ ὡς ἕκαστον, ἀλλ' ὡς σύμπαντας, οἷον τὰ συμφορητὰ δεῖπνα τῶν ἐκ μιᾶς δαπάνης χορηγηθέντων· πολλῶν γὰρ ὄντων, ἕκαστον μόριον ἔχειν ἀρετῆς, καὶ φρονήσεως, καὶ γίνεσθαι συνελθόντας ὥσπερ ἕνα ἄνθρωπον τὸ πλῆθος, πολύποδα, καὶ πολύχειρα, πολλὰς ἔχοντα αἰσθήσεις, οὕτω καὶ περὶ τὰ ἤθη, καὶ τὴν διάνοιαν.* Quæ Latinè id sonant.

Fieri potest, vt multi, quorum singuli non sunt viri boni, vbi tamen omnes conuenerint, paucis optimis antecellant, non vt singuli, sed vt vniuersi, quemadmodum sunt meliores illæ cæ-

na, quæ ſuppeditantur è plurium ſymbolis, quàm quæ vnius ſumptu. Nam vbi multi ſunt, inſidere vnicuiq; particulam ciuilis virtutis, & prudentiæ, atq; adeò multitudinem in vnum locũ congregatam inſtar vnius hominis eſſe, qui multis pedibus, atq; manibus ſit inſtructus, necnon multis ſenſibus, & hac ratione polleat maioribus cùm animi, tùm ingenij viribus. Huc etiam celeberrimum illud apophthegma, quod à Federico Vrbinate præſtantiſſimo ac fortiſſimo Duce profectũ memoratur, quidam retulerunt: *Nullum caput in terris eſſe maiori ſapientia cumulatum, quàm SENATVM VENETVM.* Dicunt igitur hoc vnum argumentum, magis optandam videri aliquam formam Reip:, quàm ſimplicem Monarchiã, perſuadere poſſe; quod plena, & omnibus numeris abſoluta virtus in vno tantum homine reperiri nõ poſ-

ſit: hoc tamen non alicuius præſtan tiæ, & nobilitatis, ſed potius imbecillitatis humanę documento eſſe. Diſputant quidem non improbabiliter illi, qui ita ſentiunt. Nam qui pernicioſas omninò Reſpublicas pu tant, hos planè deſipere, atq; furere perſuaſiſſimum habeo. Verumtamen argumenta non deſunt, rationesq; grauiſſimę, quibus euidentiſſimè demonſtrari poteſt, Ariſtocratiam Monarchiæ pręferendam eſſe, non ſolùm vſu quodam, atq; vtilitate, ſed naturæ præſtantia, & nobilitate; vitioq; humanę naturæ imprudenter adſcribi, quod eius dignitati omninò tribuendum. Vendicemus ergo rem ipſam à calumnijs hominum, & euellamus ex animis, ſi fieri poteſt, tam inhærentem opinionem, penitusq; inſitam. Atque vt in arcẽ controuerſię acrius inuadamus, aditus omnes erunt

ante muniendi, & si qua occurrunt obstructa, patefacienda, quoad pedetentim, & gradatim eò perueniamus. Ne quis tamen, quæ dicenda sunt, ea secus accipiat, quàm consentaneum meæ voluntati, ac propositæ rei; illud hoc loco præmonendũ necessariò duxi, non de alia gubernatione, siue Principatu, quàm qui Ciuilis appellatur, agere me aggressum; sacrum attingere nulla ex parte instituisse. Nam me non fugit, sacrarum, & ciuilium rerum ita disiunctam, & diuersam rationem esse, vt quæ proprie cadunt in alteram, alteri adaptare sine argumentationis vitio manifesto non liceat: quinimmò ita naturam vtriusq; comparatam existimo (quod quidem ex ijs, quæ disputabuntur infrà, colligetur facile) vt, cum in administratione ciuili præstet Aristocratia; contrà præcellere in Sacra Monarchiam oporteat.

porteat. Nam quæ ſocietas in vnũ, atque idem corpus res ita diſpares co git, atq; coagmentat, & ſuprema cũ infimis, cum terrenis cæleſtia, hu-manaq; cum diuinis ſociat, & con-iungit; huic ſocietati, ad exemplar illud inſtitutę, quo cuncta rerum v-niuerſitas à Deo gubernatur, forma illa gubernationis apta eſſe non po-teſt, quæ res vnius naturę duntaxat complectitur, fluxæq; mortalitatis conditione, ad omnes viciſſitudines pariter obiectas. Sed hæc omnia pa tebunt ſatis euidenter, vbi propoſi-ta fuerint, atq; inſpecta probè præ-cipua cauſſæ noſtræ robora, atq; fũ-damenta, quę iacere, atq; conſtitue re tempus eſt iam aggredi.



Quid

Quid administratio ciuilis, quot ex rebus constet, & in qua sita sit eius vis precipua. Vt ceteras omnes formas, ita vnius imperium nullo diuino iure sancitum esse. Antiquissimum esse quidem illud, & communissimum oīum, sed ex ijs rebus eidem nihil dignitatis accedere, quidquid notandum, monendumq; duxerit IVSTVS LIPSIVS. Quibus de causis institui cœptæ Respublicæ multis ætatibus, atq; adeò sæculis post regna, per quā optimè ab Arist. explicatum. Quæ contra GVILIELMVS BARCLAIVS obijcit, nullius esse ponderis. De collatione priscorū temporum cum nostris non longa digressio.

CAPVT PRIMVM.

QVæ Latinè administratio ciuilis appellari solet, ea Græcè vsitato vocabulo πολιτεία dicitur, quo tametsi non numquam Respublica popularis precipuè notari, ac designari consueuit ab ijs, qui Democratiæ nomen auersati sunt, tanquam vitio, quàm laudi aliquan

tò propius; tamen propriè non cer-
tum quoddam ſingulare, ſed genus
vniuerſum complectitur adminiſtra
tionis. Deducitur autem ἀπὸ τῆς πό
λεως, hoc eſt *à ciuitate*, qua ciuiles
conuentus, atq; ſocietates cum pri-
mis contineri perſpicuum eſt, non
autem modicis vicis, atque pagis.
Quæ cauſa fuit Ariſtoteli, breui ea
deſcriptione, quàm lib. 3. Polit: ini-
tio propoſuit, de Ciuitate mentionē
faciendi, cum ait. πολιτέια τῶν τὴν
πόλιν οἰκούντων ἐστὶ τάξις τίς. *Poli-
tia eſt ordo quidam inter eos, qui co-
lunt ciuitatem*. Duo ſunt pariter ob-
ſeruanda, quidnam ſibi velint; cùm
ordo, tùm *qui colunt ciuitatem*. Ordi-
nis autem tota vis in eo ſita eſt, vt
alij ſubijciantur, alij præſint: illi
ἀρχόμενοι *imperio parentes*, hi vero
ἄρχοντες *imperantes* à Græcis dicun-
tur. Hoc inter perſonarum genus
vtrumq;, licet appareat manifeſtò
tantum

tantum intereſſe, quantò agere, mouere, ac dirigere præſtantius habetur, quàm dirigi, moueri, atque ab alio perpeti; nihilominus hæc ſi nõ gradu, atq; dignitate, numero certè, atq; loco eodem cenſentur: quandoquidem, & ad Ciuitatem æquè neceſſariò pertinent, & ea ratione præterea ſunt inter ſeſe affecta, vt exiſtant ſimul natura pariter, ac tempore, iuxta naturam eorum, quæ dicuntur πρός τι ideſt *ad aliquid*. Veruntamen ab vtro genere magis pendeat gubernatio ciuilis, controuerti ſolet. Fuerunt, qui arbitrarentur à gubernante; quod ab eo gubernatio dicitur, totaq; ipſo nititur: Contra ſunt, qui eiuſdem vim referendam eò cenſent, quò tendere natura conſpicitur, ad ſuum nempe terminum, quem ſtatuunt eſſe multitudinem, quæ gubernatur. Sed vt omnis controuerſia de medio tollatur, hoc mo-

do gubernatio erit distinguenda. Nam quædã imperantis vsum, atq; cõmodum, primò, præcipuè, ac per se spectare dicitur; eius autem, qui pareat, non nisi fortuitò, aut certè secundum illud, quod potissimum ducit: atq; hoc genus δεσποτικὸν a Græcis vocatur, à quibusdam herile imperium Latinè fuit dictum, sed Cicero appellare solet Dominatum. Alterum verò genus, Ciuile nominatur, & à Græcis πολιτικόν, eadem notione; quòd suapte natura, & vi propria ad publicum bonum, non ad priuatum commodum vllum est cõpositum. Vtrumque genus administrationis negari non potest, quin inde magis pendere necessariò debeat, vnde rationem pręcipuã, atq; propriam sumit. Sed à ciuili communione procul illud ablegandum, quod non est liberorum hominum, sed mancipiorum. Relinquitur ergò

ciuile, de quo ſermo nobis, eoque non adulterino, neq; vitiato, reijciendo ad impotentiſſimum dominatum; ſed legitimum, ac ſincerum nobis eſt propoſitum, quod à ciuili multitudine, cuius ergò inſtitutum, cum nomen ipſum, tum vim ſuam atq́; id omne ſortitur, per quod diſterminatur ab aduerſo genere. Qui verò tempus quoddam fuiſſe perſuaſum habent, quo per montes, ac ſyluas ferarũ more diſperſi, diſſipatiq; homines vagarentur, habent rationem ad comprobandum id peculiarem; nonnumquam ſine ciuili gubernatione multitudinem conſiſtere potuiſſe: cum tamen cœtibus hominum de medio ſublatis, & à gubernanda multitudine gubernatio ſeiũcta ne momento quidem vllo temporis exiſtat. Veruntamen quia vix habent fidem in præſentia, quæ de hominum victu ferino ſunt à priſcis

tradita, & certa in primis est ratio, qua Philosophus probat, cum natura sit homo ciuile, atque sociabile animal, naturæ vi quadam propria duci, immo impetu ferri ad cõmunicandum cum alijs, hoc est ad vitam ciuilem: Principio rerum videtur necessarium fuisse, vt homines cõuenirent in vnum locum, vnde statim coaluerint cœtus, & concilia; multitudo verò quælibet in vnum coacta, vt commoda vitę ciuilis adipisceretur, certa quadam ratione ordinanda erat, vt alij facerēt imperata, alij verò imperarent. Atque hæc ciuilis administrationis primordia extiterunt, non alia ex causa comparatæ, atque constitutę, nisi regendæ multitudinis, quò tota refertur. Nihil igitur attinet disquirere fuerint necne homines vnquā sine vllis imperijs, hoc est gubernatione ciuili prorsus destituti. Satis

est

eſt, hanc hominum cauſa, neque alterius præterea; homines autem illius cauſſa, nequaquam exiſtere, ad rem propoſitam declarandam, & ſtabiliendam; à multitudine ſcilicet, quæ regitur, adminiſtrationem ciuilem totam ſuam vim ſumere. Quod obſeruare, atque meminiſſe eò diligentius oportet, quò grauiora ſuppeditabit argumenta nobis ad ſtatuendam preſtantiam Ariſtocratię. Gubernatio verò ipſa generatim, nimirum ſumma poteſtas, ſupremaq; auctoritas ad continendam multitudinem in officio, non ex alio fonte manauit, quàm ab ipſa natura, immò verò ab auctore naturæ Deo: ſed ſingulæ gubernationis formæ qualeſcumque, ſiue optimatum, ſiue populi principatus, ſiue Regis vnius imperium, quam Monarchiam vocant, variarum gentium diuerſo iure conſtitutæ, planeq; inuenta homi

num ex hac parte sunt: neq; hoc audebunt negare, satis certò scio, vel acerrimi propugnatores quique regiæ potestatis. Enim verò quod apertè aggredi, rectàq; non possunt, hoc quibusdam cuniculis moliri nō cessant, vt in arce summa diuinæ auctoritatis defigant imprudentib. nobis signa quasi illata, in efferēdo, proferēdoq́; sūmo vnius imperio, ultra quā res, veritasq. sustinet, nimis obfirmati. Laudant enim D. Ioannem Chrysostomum Hom. 34. in Epist. i. ad Cor. cap. 13. ita differentem. Ab vno tantum homine, Dei iussu vniuersum genus humanum editum, atq; procreatum, vt non democratia vigeret, sed regnum. Neq; tamen acutissimi homines animaduerterunt, si qua esset vis argumento, illud ex eo consequi; vti constat vnum hominem cunctos procreasse, ita opus esse, atq; id ex diuino

præ-

præſcripto, vt ſimul omnibus hominibus, terrarumq; orbi vnus Dominus, atq; Princeps tantum imperaret, contra quàm fieri videmus, atq; factum legimus in omnium ſeculorũ ętatib. oĩq; memoria. Nam quo tempore traditum fuit, aut in quibus annalibus, in vnius hominis ditionem, atq; poteſtatem conceſſiſſe pariter vniuerſa imperia, atq; regna? Non ne ſingulę propè Vrbes, nedum nationes, ſuos vel Reges, vel Principes initio habuerunt? Ergò ne auctoritas diuina fuit perpetuò fruſtrata? Cur autem Deus, & Dominus noſter Ieſus Chriſtus, qui reſtituit in integrum tàm multa, quę corrupta fuerant, & ad inſtitutionem diuinam cuncta reuocauit, ciuili quoq; ſocietati hoc remedium non attulit, vt uni ſummã traderet omnium rerum, atque omne Rerump. nomẽ prorſus aboleret, vbiq;

restituta Monarchia ex antiquo prę-
scripto? Qui verò proferunt illud
ex diuinis oraculis Prou. cap. 28. *propter peccata terræ multi Principes eius:*
vt ostendant hominum peccata causam attulisse, cur ortę fuerint alioqui numquam futuræ, neque inter homines habituræ locum, nomenq; Respublicę; hi certè aut suam imperitiam produnt, aut fucum faciũt. Si quidẽ proxima verba statim declarant, in quam sententiam Rex id sapiẽtissimus dixerit. Subijcit enim: *& propter hominis sapientiam, & horum scientiam, quæ dicuntur, vita ducis longior erit.* Magnæ rerum vicissitudines, id quod omnes norunt, perturbationesque innumeræ oriri solent, & non numquam conuersiones imperiorum ex assidua, & frequenti regũ mutatione, peracerboq; ac immaturo Principum interitu. Vt autem non nisi prouecta

ętate illi moriantur, permagni hoc intereſt ad populorum tranquillitatem; quam quidem ob immenſa flagitia, & immania ſcelera interturbatum iri Deus interminatur. Quid hoc facit contra Reſpublicas? an non potius arguit, eas efficere perquàm tranquillos, & felices populos, quatenus immortalitatis quandam ſpeciem gerunt; ideoq́; diuini cuiuſdam muneris loco iure habendas? Quemadmodum ergò, & perperam, & prępoſterè admodum hoc ex diuinis litteris teſtimonium affertur: ſic etiam illa coniectura eſt inanis, & planè fallax, ex omnium hominum procreatione ab vno petita; quatenus arguit à Rebuspub. aliena Deum, in regna verò quàm propēſiſſima voluntate, non tantum exemplum aliquod Monarchię ſtatuiſſe (quandoquidem ſtatuit etiam Ariſtocratię) ſed præcipuè mandaſſe,

atq; pręſcripſiſſe, vt vni vbiq. deferretur imperium, non pluribus. Neq; D. Ioannem Chryſoſtomum feriò id puto ſenſiſſe; verum ſeruiſſe tempori, ac neceſſitati, quò plebē illam ſeditioſiſſimam, atque inſolentiſſimam contineret in obſequio, & fide erga imperatorem, ornando, augendoq; plurimum oratorio more, quod genus tùm vigeret adminiſtrationis. Itaq; maneat illud, quod fuit antea dictum, neque Monarchiam, neque formam aliam Principatus initio rerum à Deo conſtitutam fuiſſe. Quænam verò ex his omnibus antiquiſſima fuit, & priſcis illis temporibus primum vſurpata? Equidem dominatio Regia. nam quis ambigat? Id apertiſſimis verbis tradit Ariſtoteles. libr. Polit. 1.
διὸ καὶ τὸ πρῶτον ἐβασιλεύοντο αἱ πόλεις, καὶ νῦν ἔτι τὰ ἔθνη.

Principio regebantur à Regibus ciuitates,

tates, & adhuc his temporibus gentes. Sic etiam Marcus Tullius libr.4. de legibus ex Platone ait. *Omnes antiquæ gentes regib. quondam paruerunt.* Iustinus autem suam Epitomen inchoat his verbis: *Principio gentium, nationumq́; imperia penes reges erant.* Monarchiæ porro forma non aliunde, quam ex administratione familiarum tota sumpta est. Nam qui pręcedebat ætate, vt docent Philosophi, is vniuersæ familię præerat de more, qui deinde processit pariter ad vicos, & paulatim peruenit quoq; ad ciuitates, vnde Regna maiora tandem ortum habuerunt. Triplex equidem forma, seu ratio gubernationis agnoscitur in familia qualibet ab Aristotele libr.8. Ethic. capit.10.& libr.1.Polit. δεσποτικὴ, inter dominum, atq; seruos; τεκνοποιητικὴ inter patrem, & eius liberos; γαμικὴ, inter virum, & vxorē:

Sed quia postrema duntaxat ex his tribus habet significationem Reipublicę, siue Politię, ceterę verò spectant omnes ad Monarchiam, ideò Philosophus ad eas reiecit potissimũ administrationẽ familię, siue *οἰκονομίαν*, quam separare videtur à Politia, & distinguere planè tanquam rem diuersã: ait enim. *μοναρχεῖται πᾶς οἶκος*. *Cuncta domus vnius imperio gubernatur*. Sed quamuis domos atque familias intuentibus ea species administrationis præcipuè occurrat, quę ad vnius imperium, atq; nutum vniuersa refert; si quis tamen penitus duxerit introspiciendum id, quod longa inuestigatione non eget, animaduertere poterit, ex maris, atq; feminæ legitima coniunctione, auctore Deo primum sancita, nec non celebrata, licuisse non minus vtiliter exemplum Reipublicæ, quam Monarchię ex alijs coniun-

ctio-

ctionibus capere, vel parentis & liberorum, vel domini, ac serui; quarum alteram ductam ab illa omniũ principe, alteram vtriusq; caussa institutam nouimus. Veruntamen quod priscis illis temporibus, rudiq; adhuc sęculo, vbi primum Ciuitates frequentari sunt cœptę, deprõpta fuerit ex familijs ratio Monarchiæ, quæ videbatur magis expedita, & proposita ante oculos; hoc certè nihil habere potest nec pręstantię, nec laudis, quin potius nescio quid imperfecti continet, atq; arguit. Nam semper à rudioribus inchoatum esse, & impolita principiò cuncta generari, quæ deinde procedente simul opere, atque tempore paulatim expoliantur, atq; elaborentur, donec absoluta reddantur, & omnino integra, quis, obsecro, quamuis ignarus ignorare potest? Ab ortu mundi rudes homines adhuc

huc erant; nondum inuentis tot artibus atq; disciplinis, quibus exculti postea sumus ad humanitatem, paucissimi præstabant ingenio, atq; sapientia. Hæc attulerunt necessitatẽ, nõ modo causam, vt gubernacula ciuitatum vni traderentur. Cum autẽ generosissimi, & sapientissimi viri, quorum copia, & vbertas plurima se effuderat, in ciuitatibus non amplius desideraretur, adhibita industria, curaq; ut cetera omnia, sic etiã forma ciuilis administrationis expolita, & ad eam rationem postmodũ fuit perducta, quę maximè decet excellentem hominum naturam. Hæc totidem fere verbis expressa sunt ab Aristotele libr. III. Politicor.

καὶ διὰ τοῦτ᾽ ἴσως ἐβασιλεύοντο πρότερον, ὅτι σπάνιον ἦν εὑρεῖν ἄνδρας πολὺ διαφέροντας κατ᾽ ἀρετὴν, ἄλλως τε καὶ τότε μικρὰς οἰκοῦντας πόλεις. ἔτι δ᾽ ἀπ᾽ εὐεργεσίας καθίστασαν

τοὺς βασιλεῖς, ὅπερ ἐστὶν ἔργον τῶν ἀγαθῶν ἀνδρῶν. ἐπεὶ δὲ συνέβαινε γίγνεσθαι πολλοὺς ὁμοίους πρὸς ἀρετήν, οὐκ ἔτι ὑπέμμενον, ἀλλ' ἐζήτουν κοινόν τι, καὶ πολιτείαν καθίστασαν.

Et propterea fortaſſe Regibus anteà parebant, quòd homines multùm præſtantes virtute rari inueniebantur; cum præſertim habitaretur tunc in paruis opidis. Ad hæc autem reges conſtituerunt acceptorum beneficiorum memores, & grati, quod certè fuit eorum magnæ probitatis. Poſteaquam verò contigit, vt inuenirentur æquali, ſimiliq; virtute multi viri præditi, non amplius certè reges ſuſtinebant, ſed commune quiddam ſcrutati inſtituerunt Reſp: Poteſtnè hoc Ariſtotelis teſtimonio quidquã clarius eſſe? Quod homines initio regibus paruerint, cauſę duę memorantur. Prima virorum excellentium maxima penuria; proxima verò quædam grati animi

nimi virtus, qua benè de Rep. meritos remunerabantur. Sunt, qui tertiam præterea caufam addiderunt, nempe ab oppreffa potentiorum viribus multitudine in tutelam, atque præfidium Reges exoptatos. Quam certè caufam Barclaius lib. 1. contra Monarch. ita probat, vt multò potiorem ducat, quàm ceteras omnes; atque inde duo colligit. Alterum, ad cauendum confilij, ad agendum auctoritatis plus in vno homine, quàm in turba, vniuerfoq. populo fuiffe: Alterum, cum multò magis fit hoc tempore plebs obnoxia iniurijs, quàm olim, cum fefe in Regũ clientelam, & præfidium contulit; ex eo quòd audacia nobilium, & potentiorum cum opulentia & auctoritate adeo fuerit aucta, vt ad immanitatem peruenerit, & inhumanitatem: manere adhuc eãdem neceffitatem, & fi vmquam aliàs, hac tempeftate

pestate vniuersis populis Monarchiã maxime expetendam. Hæc à Barclaio dicta, videntur eam quæstionẽ habere; Vtrum nequitię, violentię, atq; rapinarum plus ferat hęc ætas nostra, quàm superiores. Sed profectò qui vetera multũ laudant, atq; adeò suspiciunt, nostra verò tempora improbant, immo detestantur, ostendũt hi sese annales nullos euoluisse, veteraque monumenta nulla inuestigasse. Quod enim homines initio belluarum instar in syluis, & montibus errasse commemorantur, quamuis ita planè non fuerit, vt superius admonui, & καθ' ὑπερβολὴν τινα *per Hyperbolem quandam* dictum fuerit; indicat tamen priscos illos homines belluino magis, quàm humano ritu ætatem egisse, quod apertissimè testatũ reliquit Thucydides auctor grauissimus, atq; fidelissimus de suis Græcis, cum perhibet

bet eos latronum more grassantes non multò ante bellum Troianum cędes vulgò facere, piraticamque exercere solitos fuisse. Quam verò fuerint antiquissimis temporib. homines facinorosi, formidolosi, atq; truculenti, ex eo certam coniecturã facere possumus, quod parricidio fraterno se inquinauit is, qui primis parentibus fuit in lucem editus, & accitis vndiq; latrociniorum, ac nequitiæ socijs, dux, & magister illis ad omne facinus extitit, quod Iosephus in suis antiquitatibus lib.I.capit.II. memoriæ prodidit. Ingentia verò flagitia, quibus Deus offensus vniuersum terrarum orbem aquis obrutum perdidit, satis arguunt nihilo meliores priscis ętatibus, quàm hac ipsa, in qua degimus, mortales fuisse; quinimmò longe deteriores, atq; nequiores. Equidem recta educatio, atq; disciplina, quibus homines con-

conformati ſunt ad humanitatem, in ciuilem communionem, & vitam multa contulerunt, effeceruntq; ut temperantia, moderatio, & prudentia, nõ minus quàm opulẽtia, & potentia incrementi caperet. Quapropter ſi qua neceſſitas multitudinem impulit, vt ad vnius Regis præſidiũ, tutelamq; confugeret, quo tempore ſeſe diripere, atq; trucidare, ferarũq; more homines viuere ſolebant; ea profectò in præſentia nihil vrget amplius, cum exculta tantoperè ſit humana vita, ſublataque impunitas graſſandi in liberos homines: aut certè quod eadem neceſſitas ab inuitis expreſſit, conſequens eſt, ut neq; voluntarium dicatur, neque ſatis congruens naturę, cum ſit violentũ: ſtabile certè non fuerit, neq; diuturnum; quod à vitio, non à virtute ſuã originem ducat. Hæc omnia neceſſariò fateri coguntur illi, qui, niſi

maleficia, & iniuriæ multæ intercesſiſſent, nihil vnquam de Rege putant cogitandum fuiſſe. Nonne autem maleficiorum tantò minus extitiſſet, quantò plures homines fuiſſent excellentes, ac probi? Iure igitur Ariſtoteles in horum penuriam Monarchię primum inſtitutę cauſsã omnem contulit, ex qua pendet hęc etiam vti apta, & connexa, quam Barclaius exiſtimat, ſed falsò, potiorẽ eſſe. Vt cunq; ſe res habeat (nãq; id parui refert) ſumma noſtrę concluſionis hęc ipſa fuerit. Antiquitatem regię adminiſtrationis nihil illi conferre prorſus ad dignitatem. Quo fit, vt argumenti loco eam rem vſurpaſſe cum doctrina excellenti complures viros, tùm Iuſtum Lipſium Mon. Pol. lib. II. cap. I. in primis ob eam rem admirer, quòd ſicut prudentiſſimi imperatores, vt copias ſuas firment, in acie prima fortiſſimum

mum quemq; collocare ſolent: ſic etiam ipſe id primo loco ſtatuendũ, obijciendumq; vt omnium validiſſimum duxerit, *Vnius imperium omnium antiquiſsimum*. Cui proximè alterum adiungit: *Etiam communiſſimum eſſe*. Quaſi res præſtantiſſimæ, vulgares ſint adeò, vt omnibus expoſitæ pateant, faciles, atq; obuię, neque vllo pacto ſit verum illud Ariſt. lib. I. Rhet. Axioma. τὸ χαλεπώτερον, καὶ τὸ σπανιώτερον, μεῖζον. *Quò quid inuentu difficilius, & rarius, hoc etiam præſtantius*. Certè liberæ gentes, atque ciuitates ſemper admirationis multum habuerunt, quod numero non eſſent admodum frequenti; neq; vbilibet illorum copia inueniri poſſet, quos Ariſtoteles appellat, ἄνδρας πολὺ διαφέροντας κατ' ἀρετὴν. *Homines multùm præſtantes, atque excellentes virtute*; & ἄνδρας πολλοὺς ὁμοίους πρὸς ἀρετὴν. *Homi-*

nes plures, æquali virtute præditos. Hæc autem verba quid ſibi velint, & quam vim habeant, operępretiũ fuerit explicare vberius. Siquidem hæc explicatio pręcipua capita continet, quibus hæc expediri controuerſia valeat.

Ratio Ariſtocratiæ inſtituendę quanã ex Ariſtotele. Confutatio eorum, qui docent, optimatum imperium, non ſuapte natura, & ſimpliciter expetendum, ſed vitio, & imbecillitate humanæ naturę. Quonam modo multi plus ſapere dicantur, quàm vnus; & longa diſputatio contra BARCLAIVM hoc, & alia quędam Axiomata fruſtra conuellentem.

CAPVT SECVNDVM.

VErumtamen illud neceſſariò præmonendum exiſtimo, neq; Ariſtoteli, neq; vlli ſanæ mentis homini, vt regnorum ſtatus labefactet, propoſitum eſſe. Si quis enim populis auctor eſſe velit, Ariſtocratiæ quã-

nis præstantissimæ causa instituendæ, vt legitimos reges extrudant, aut in ordinem cogant, se pariter, atq; illos obligarit multiplici crimine; iniquitatis, cum qua fraudatio coniuncta; stragium, non modò cædium, quæ fiunt ciuilibus bellis; quodq; omnium maximè detestabile, impietatis in Deum, vnde legitima potestas cuiusmodicumque. Ergo quemadmodum ciues tenuiores, quò paratiores euadant à rebus domesticis, in locupletiorum fortunas non licet inuadere: ita qui ius omne iampridem renunciarunt, & ea ratione transtulerunt imperium in vnum, vt semper hæreditario iure transmitteretur ad posteros, in eo regimine debent omnes acquiescere, quod assensu, & comprobatione maiorum olim stabilitum sine perfidia, & latrocinio conturbari non potest; multòq; antiquius habere pacis, & iustitiæ tuen-

dę, quàm decoris intempeſtiuum cō parandi ſtudium. Quibus autem populis omnia manent integra, nullius imperio ſtabili, ac fixo mancipatis; his nihil eſſe poteſt vllo impedimento, quo minus ita ſtatuant de rebus publicis, quemadmodum tradit Ariſtoteles, immo ratio veriùs ex ipſis naturæ fontibus deriuata, & hauſta. Vitę ciuilis humanæq; ſocietatis finis, qui propoſitus debet eſſe cunctis ciuitatibus, vt philoſophia cum moralis, tùm ciuilis egregie demonſtrat, felicitas eſt quædam, non in contemplando, ſed in agendo ſita, atq; collocata, ſecundum optimam rationem, quæ dicitur, Practicę virtutis, nimirum prudentię, quæ viuendi eſt egregia magiſtra, ceterarumq; virtutum omnium, moderatrix. Nam ſcitè, rectè, ac verè admodum Chæremon, *ὁ γὰρ φρονῶν ἓν πάντα συλλαβὼν ἔχει*. *Vir enim*

pru-

prudens continet, & comprehendit omnia & pręclare Salomon Regum lib. III. cap. III. vbi tractare primũ cœpit regni gubernacula, facta sibi à Deo potestate facilè impetrandi, quidquid sibi maximè collibitum, atq; gratũ foret, hac se virtute tantũ modo augeri petijt, cuius adminiculo benè, tutòq; imperaret. Id verò Sapientiæ diuinæ tantopere placuit, vt Salomonem hoc nomine commẽdarit plurimum, donatumq; prudentia quadam summa, & singulari, ceteris etiam facultatibus copiosè instruxerit; quę vbi pariter omnes suppetunt, & confluunt, efficiunt plenã, cumulatamq; felicitatem. Nã quò maiora, & plura sunt adiumenta cõsequendi finem, quis nesciat eò facilius, atque expeditius fore ad ipsum iter? Quamobrem in eo, qui Principatum gerat, etiam Aristoteles, nõ solum prudentiam desiderat, aliasq;

virtutes, sed vbi fieri potest, etiam illa bona, quæ corporis, aut fortunę communiter appellari solent, cuiusmodi sunt diuitiæ, gratia, pulchritudo, robur. Quia tamen vix vnquã fieri potest, vt hæc tot, tantaque in vnum pariter conueniant; homo autem maximè est homo non ratione corporis, sed propter insitã vim mentis, atq; consilij; idcirco statuit in tribuendo Principatu præ ceteris omnibus hoc vnum spectari oportere, vt pręsint ij, qui prudentia plurimum excellant: quam prudentiam non semel politicam virtutem, nonnunquam etiam κατ' ἐξοχήν τινα, idest *per excellentiam quandam* simpliciter appellat Virtutem, propterea quod in ciuili administratione ad hanc vnam ceteræ omnes referũtur. Expedire autem plurimum dubitari non potest, & cum rationi, tùm naturæ quoq; ipsi consentaneum fore,

re, vt qui propter animi remiſſionẽ, aut imbecillitatem ſeipſos, ne dum alios, vt par eſt, gubernare nequeũt, obſequantur, & pareant ijs, qui prudentia vigent.

Nam licet humanæ præſtantiæ dignitas communis ſit omnibus; eademq; mentis facultas à natura tributa; hæc tamen vbi expedita, prõptaq; non reperit, quę dici ſolent agendi ſubſidia, & inſtrumenta, quod ſecus atq; oporteat, conſtituta ſint, hebetatur animi præclara vis, & quodammodo languet, vt obire, & pręſtare ſua munera tantò minus valeat, quantò deteriùs à contagione corporis afficitur, & opportunis auxilijs magis deſtituitur. Quanquam non ſolum habilitas, & propenſio à natura indita, ſed etiam alia duo per magni momenti, nimirum diſciplina, & exercitatio (his enim prudentia excolitur, atq; comparatur) illã

inter homines pariunt, quam miramur, ingenij dissimilitudinem, ac diuersitatem. Hinc Aristoteles Platonem meritò arguebat, quòd honorum pariter, vt omnium ceterarum rerum, perniciosissimam communionem, & æqualitatem in suam Rempublicam inducere conabatur. Nam ex eo, quòd naturæ sunt similis vniuersi homines, non omninò similes, atque pares sunt existimandi, neq; spectari debet capitum numerus, sed præstantia, & dignitas, vt ornamenta publica decentissimè distribuantur, hoc est imperia, Magistratus, & honores cuncti: proptereaque Philosophi prędicare solent, ea non iuxta proportionem Arithmeticam singulis hominibus, sed prę stantissimis tribuenda iuxta Geometricam. Sed quanam re præstantissimis, & pręcellentissimis? non opibus

bus, atq; censu maximo, non splendore generis, non robore, ac fortitudine, & id genus alijs, quæ minùs attingunt excellentem hominis naturam; verùm ea re, quæ maximè ad publicum bonum, & ad humanę societatis finem quàm proximè accedit, vitæ ciuilis origo, atq; forma, nempe ipsa prudentia. Præterea tamen id quoq; necessariò exigitur, sine quo prudentia esset inutilis, manca, & imperfecta. Vocat hoc Aristot. δύναμιν τὴν πρακτικὴν τῶν ἀρίστων. *Vim, aut facultatem effectricem rerũ optimarum,* de qua quidem sic ait. δεῖ δ' οὐ μόνον ἀρετὴν, ἀλλὰ καὶ δύναμιν ὑπάρχειν, καθ' ἣν ἔσαι πρακτικός. *Opus est, vt non sola virtus, sed etiam suppetat vis, qua res geri queãt.* Hæc igitur vbi fuerint vtraq; coniuncta, & prudentia, & auctoritas ad negocia gerenda, magnopere deside-

randa

randa reliqua non erunt, quę superius ostendimus esse longiùs dissita; non spernenda certè, si adfuerint, im mò verò exoptanda, sed non antepo nenda rei præcipuæ, neq; vllo modo exęquanda. Cum enim ęqua re rum omnium distributio, mensura quadam, & regula indigeat, quę aberrare non sinat, vnde nam meliùs, atque opportunius poterit ea peti, quàm ab ipso fine, hoc est à beata vi ta, cui seruire, & consulere Magistra tus debent? ad eam rem qui parati maximè, atq; prompti sunt, omnibus cum naturæ, tum disciplinæ, & consuetudinis, & exercitationis præsidijs instructi, adiunctis ijs adiumẽ tis rerum gerendarum, quæ prudentia necessariò requirit in administrã do; hi præ ceteris debent esse communium rerum participes, & quidẽ iure optimo. Nam bonum publicũ atq; politicum idem prorsus est vt

lib. polit. III. Aristoteles tradit, & perspicue probat: Iustitiæ verò lex præcipit, atq; exigit, vt non omnes in honorum communionem temerè vocentur, sed qui apti nati sunt in commune aliquid conferre, quo in ciuitatibus feliciter, beateq; viuatur. Qui sunt eiusmodi, à philosophis ęquales, & similes, non propter ipsam naturæ coniunctionem tantũ appellantur, sed ob excellentissimę virtutis similitudinem. De his autem ita loquitur Aristoteles Polit. libro VII. & alibi ea repetit. τοῖς γὰρ ὁμοίοις τὸ καλὸν, καὶ τὸ δίκαιον ἐν μέρει. τοῦτο γὰρ ἴσον, καὶ ὅμοιον. τὸ δὲ μὴ ἴσον τοῖς ἴσοις, καὶ τὸ μὴ ὅμοιον τοῖς ὁμοίοις, παρὰ φύσιν. οὐδὲν δὲ τῶν παρὰ φύσιν καλόν.

Nam ijs, qui similes, atq; pares sũt, hoc est honestum, & æquum, vt veniãt in partem imperij. Id enim par atq; simile. Qui verò sunt æquo iure, non æ-

qua

qua eis tribuere, & qui sunt pares, non paria, est præter naturam. Nihil autē ex ijs, quæ præter naturam, est honestū, ac decens. Hoc axioma de iuris ęquabilitate accepit Aristot. à Platonis Republica, sed ad meliorem sententiam traduxit, atq; accommodauit. Nam Plato fuerat adductus hac ipsa ratione, vt rerum omnium æqualitatem induceret citra vllum discrimen: Aristoteles autem non nisi imperium communicat, nec promiscuè id cum omnibus, sed cum illis tantum, qui ciuili virtute alijs multum antecellunt, inter se quàm simillimi, atq; omninò pares. Quapropter contra Platonem, quas Bodinus adducit, eæ rationes nō tollunt, neq; verò infirmant Aristotelicam hanc iuris ęquabilitatem. Arguit enim hoc modo. Quemadmodum pueris, adultis, senibus, ęgris, sanis, & athletis idem victus atq; vestitus nō

est

est impertiendus: ita etiam ius imperij non omnibus ęque tribuendũ. Et rursus. Imperandi prudentia quã paucissimis est natura tributa: igitur imperia minimè exequari debent.

Sed Plato popularem statum tuebatur, & ex ęquo propterea cunctis oĩa tribuebat: Aristoteles verò probat eam formam, quę cum optimis tantum non omnia, sed honores ęquat. Præstabile certè admodum, atque optandum esset, vt omnes, qui versantur in ciuitatibus, probi, & sapientes quàm maximè, tales denique existerent, ut pariter ad gerendam Repub. haberentur idonei. Nã summa naturæ coniunctio, quæ est inter homines, desiderare id atq; exposcere iure quodam videtur. Sed quia propter humanę vitę commoda, & necessitates natura solers, atq; prudens commenta est in tanta simi litudine magnam quoq; varietatẽ;

id

id optare saltem licebit, quod est huic proximum, vt quamplurimi nascantur, euadantq; ad imperiũ apti, quo pręclarissimè nobiscum agatur, & cum ipsa Repub. Qui verò putãt, hominum vitio, atq; culpa fieri, vt Respublicę appareant meliores, quã vnius imperium, hos oportet sentire, quod est perabsurdum: vt plurimi fuerint in ciuitatibus pręstantissimi uiri ad capessendam Rempublicam habiles, & prompti, tum inibi culpæ, atq; vitij residere plurimum. Quod monstrum, atq; portentum quis, amabo, ferat? Culpari debet paucitas hominum præstantissimorum, & non multitudo: hęc autem genuit Respublicas, atq; propagauit; illa, vt imperia deferrentur vni tantum, coegit. Si qua igitur culpa est humanæ imbecillitatis, ea multò magis in Monarchia hęrebit, quàm vlla in Republica. Postulat hic lo-
cus

cus, vt respondeamus ad ea, quę afferri solent pro sententijs eiusmodi argumenti loco. Multò plus videre atq; sapere multos, quam vnum tantum, propter humani ingenij summã tenuitatem. Ex multis, quorum singula nõ sunt satis perfecta, conflari posse vnũ quid absolutum, atq; integrum. Temperamentum quoddã, & moderationem oriri ex aduersantiũ rerum concursu, & conictu. Barclaius hęc, quę pleriq; ponunt tanquam certa, & vera, non modò reuocat in dubium, sed omninò negat. Rationes eius multiplices, atq; varię sunt. Primò quia multis, ac varijs exemplis illi demonstrarunt, qui populorum res gestas commendarũt memorię, prę tota multitudine semper emicuisse vnius viri summam virtutem, atque sapientiam. Eiusmodi verò exẽpla fuerint. Agamemnonis, qui à tot Gręcię ciuitatibus, &

popu-

populis, atq; adeò Principibus, ut omnibus imperitaret, electus fuit, idq; in expeditione omnium celeberrima, quotquot vnquam susceptę hominū memoria. Nestoris quoq; Vlyssis, & Æneę pręconia, quorum prudentię fama late peruagata; & à Miltiade pręclara edita facinora, cui detulerunt Athenienses summā belli gerendi, Ducibus, quos creauerant decē, abrogato imperio. Attexit Gręcis exempla quoq; Romanorū, gestā Furij Camilli, Appij Cœci, C. Fabij, Scipionumq; recēset: Post hęc Apophthegma quoddam Phocionis vituperantis multitudinis iudicium de publicis rebus, quale est illud ēt Hippomachi; κακῶς ἤυλησας *Malè cecinisti*, ad discipulum, qui plausum multitudinis canendo assecutus fuerat. Deinde verò sic amplius argumentatur. Maior est numerus improborum, quàm proborum, & lō-

ge maior eſt multitudo ſtultorum, quàm ſapientum, præditorumq́; nõ ſolum perfecta, & exquiſita, ſed vulgari quoq́; illa, & communi prudẽtia, quæ in quotidiana vitę conſuetudine occupata eſt. Bonorum quoq́ue, & prudentium animi ſunt diſcordes ob ingenitam φιλαυτίαν, *amorem ſui ipſius*, atq́; varia ſtudia, diuerſasq́; animorum affectiones, immò planè aduerſas, quatenus alios timidos, & alios audaces, hos patientes, & lentos, illos iracundos, animiq; impotẽtes natura procreat. Quæ certè cũ inter ſe permiſceri cõtigerit tantoperè diſſidentia, nec nõ aduerſantia, fore, vt turbamentum oriatur, non temperamentum. Tãdem verò ait, hoc argumentum; *Multò plus videre multos, quam vnũ*, eorum eſſe, qui popularem ſtatum præferant imperio optimatum, & in hanc ipſam ſententiam ab Ariſtote-

le afferri; ergò non magis illud contra vnius, quam aduersus imperia paucorum, facere videri. Hæ sunt omnes Barclaij ratiocinationes, quæ licet nos offendere parum videātur, qui dignitatem, præstantiamq; Aristocratiæ ex humanę naturę propria excellentia, non ex aliqua imbecillitate, aut vitio colligendā ducimus; attamen quia multa falsa, & fallacia continent, & præter occultam oppugnationem nostræ huius sententiæ, reprehensionem quoq; apertissim āipsius Aristotelis, cuius auctoritatem conuellere ille multum nititur; propterea quæ dicta sunt ab eo disputando refellere, potissimumq; enucleare sensum Aristotelis, quem probè nō fuit assecutus, necessarium fuerit. Trifariam inter se committi, & conferri possunt iudicia, seu consultationes, ac deliberationes, vnius viri, paucorum, atque multitudinis.

Hanc

Hanc triplicem cōparationē lib. III. polit. diuersis tamen locis affert Aristoteles, & primò quidem dum multos cum paucis comparat, ostendit non verè semper ita dici posse, *Plus multitudinem sapere, quam paucos viros*; distinguit enim duplex multitudinis genus. Vnum, in quo singuli habeant è multitudine non modò magnam propensionem ad probitatem, sed etiam aliquam particulam ciuilis virtutis, quam deinde in commune conferre possint, quando simul conueniūt omnes congregati, & hac ratione conflare vnum quid absolutum. Atque ita intelligendū est illud libr. VII. Polit. ἀκολουθεῖ τὸ καθ' ἕκαστον, καὶ τὸ πάντας. *Consequitur singulos esse, vbi omnes sunt.* Si quidem oritur ex ea, quam singuli habent, totius multitudinis vis, atque virtus in vnum coacta multò præstantior, quàm cum erat antea

diſſipata. Eſt autem alterum quoddam genus multitudinis, in quo virtutis, aut nihil reſidet, aut certè adeò exiguum, vt vndique collectum nõ poſſit aliquid efficere, quod mediocre videatur, ſi non egregium. Et in hac multitudine docet Ariſtoteles non poſſe locum habere illud argumentum, quod multi meliùs delıberent, ſapiantq; quàm pauci. Idem quoq; in priori multitudine cernitur valde fallax eſſe, nihilq; habere firmum, atq; ſtabile in ipſa re infixum, ſed aduenticium quoddam, & conſequens, ſed non neceſſario. Nam ſecus etiam contingere, atq; id ſæpius poteſt, vt virtus eius multitudinis, quam diximus, in vnum collata, non ęquet illam paucorum, ſed optimorum. Quo fit, vt hac in multitudinis collatione cum paucis ſapientibus, eiuſmodi voces identidem exaudiantur: ἐνδέχεται: οὐ-

δὲν κωλύει, contingit: nihil prohibet, quæ non definiunt quidquam, neq; certò ſtatuunt: quinimmò ita componuntur ibidem optimates cum populo, vt illis pulchritudo inſita, veràq; tribuatur; huic aduenticia dun taxat, hinc, atq; illinc adſcita, quẽadmodum pictis imaginibus vſu venit; ex quibus etiam concludit apertè Ariſtoteles, populari quidem iudicio quædã permittenda; ſummũ tamen imperium paucis deferendũ, qui prudentia, & conſilio ceteris præcellant. Hæc de comparatione, quę cadit inter multos, & paucos. Vbi verò multi cum vno tantum conferuntur non multò poſt ea contentio prorſus ita tollitur. *διὰ τοῦτο καὶ κρίνει ἄμεινον ὄχλος πολλά, ἢ εἷς ὅστις οὖν. Propterea multitudo multa rectius iudicat, quam vir vnus, qualiſcunq; ſit.* Hæc verba conſtat habere vim aſſeuerandi: nam rem velut ancipitem

non amplius in medio relinquunt, quemadmodum in ſuperiori compa ratione. Sic etiam omninò à natura inſtitutum eſt, vt multi proſpiciãt acutius, quàm vnus, vel admodum perſpicax. Quid in extrema illa cõtentione inter paucos, & vnum? Lõgè optimates proculdubio præferuntur; niſi ſi adeò ſupra humanam cõditionem quis euectus fuerit, vt ad naturam diuinam quàm proximè accedat. Hoc enim ſingulariter excipit Philoſophus, quod etiam nobis explicandum copioſè inferius. Nã quod illas deliberationes Barclaius vituperat, in quibus id eſſe firmum, atq; ratum ſolet, quod pars maxima ciuiũ iuſſerit, ac ſanxerit, ſummamq; decernendi grauiſſima quæq; poteſtatẽ vtilius vni, quam multis committi arbitratur, ſic tamen vt in conſilium quoq; adhibeantur, audianturq; optimates, ſiue Senatores: Aut

ita vult in eorum consilijs acquiesce re Principem, vt id, quod pluribus visum fuerit, eligat, & iubeat; atq; ita inclinabunt omnia, reciderq; ad rempublicam: Quid enim obsecro interest, ipsene deliberes, an alter ex arbitrio, & sententia tua? Aut censet in deliberando Regem oportere non quidem aliorum sensum, & iudicium sequi, sed vni sibi obtemperare, atq; obsecundare, & sic in errorem, & fraudem quàm facillimè incidet. Nam dubitari non potest, quin ea comprobet, in quæ maximè animatus, propensusq; fuerit. Regis autem ipsius hac propensione intellecta (non enim diu latere poterit homines acutos) quotus in consilio quisq; contra hiscere audeat? Nota sunt aulicorum omniũ ingenia, atq; studia; nihil magis horrent, quam principis indignationem, atq; ideò facilè ad eius voluntatem sese totos

fingunt. Neq; defuturi sunt vmquã homines subdoli, & assentatores, qui cupiant, studeantq; Regis dare auribus, ut aliquod emolumentum aucupentur, atq; gratiam ineant. Quapropter is in malitiam facile inducetur nõ minus ex animi sui vitio, atq; prauo sensu, quàm ex eorum astutia, qui circunsident ipsum, captantque hominis voluntatem, atq; vnà suum commodum. Hos ille consiliorum omnium participes faciet, maioriq; studio complectetur, & libentiùs audiet, quàm si qui fuerint consiliarij optimi, ac fideles. Exempla multa commemorari, & adduci possunt; sed insigne sufficiat illud Roboam Regum libr. III. cap. XIII. qui cum haberet in suo consilio eiusmodi viros, quorum fides, atq; sapientia perspectissima fuerat, & comprobata graui iudicio sapientissimi Patris, hos tamen omnes posthabitos pro-

pterea

pterea neglexit, quod ea dixissent, quę minus arriderent sibi, & consiliorum auctoribus illis vti maluit, qui per insignem imprudentiam, summamq; arrogantiam, multò maximam regni partem ab ipso alienarunt. Tanti optio refert optimorũ consiliariorum: quo certè in genere quis manifestè non videt, eò meliori conditione, quàm Reges, fore semper Respublicas, quò multorum iudicia, atq; testimonia grauiora, certioraq; procul dubio, quàm viri vnius tantum? Veruntamen dicturi plura sumus hac de re, cum exquisitis rationibus illud cõprobabimus, quod ab Aristotele verè scriptũ fuit; *Aberraturum faciliùs in iudicando, corruptumq; iri procliuiùs vnum multò, quàm multos*. Quod certè non est adscribendum naturę ipsius vitio, neq; arguit vllam eiusdem imbecillitatem. Contrà enim debilis natu-

ra, & infirma esset, contraheretq; nõ modicum labis, atq; detrimenti, si quidquid ingenij, solertię, ciuilisq; virtutis in vniuersos homines diuina sapientia distribuit, & certa quadam ratione, & modo ita temperauit, vt commune omnium ornamentum, & commune bonum, si non ad omnes, ad quamplures certè pertineret; id omne transfunderetur in vnum, aut alterum, ceteris omnibus exhaustis, atque exinanitis. Si quis autem humanæ naturę conditionem culpat, atq; in ipsa vitium hærere propter hoc existimat, quod ipsa per se rerum prorsus omnium expers, non nisi magno cum labore, ac difficultate qualemcunq; notitiam earum comparare potest adminiculo sensus duntaxat, atq; experientiæ; is quod sacræ litteræ testantur, meminisse debet, singula Dei opera in suo genere perfecta

existere.

existere, tametsi cum alijs composita, atq; comparata, minùs perfecta videri possunt, minùsq; absoluta. Longè perfectiores sunt animantes, quàm stirpes; si tamen hominem spectamus, erunt imperfectæ. sic etiam apparet hominis natura imperfecta, si cum intelligentia quapiã conferatur, quæ imperfectissima fortasse putanda fuerit præ alijs, quæ superioris sunt ordinis, atque dignitatis. Quapropter vim cuiq; naturæ insitam, & propriam, non ea, quæ superant illius conditionem, inspicere oportet: & quemadmodum pecus iure conqueri non posset, quòd sortita non sit eam vim mentis, atq; ingenij, quæ singulari Dei munere fuit homini tributa: ita non est, cur homo existimet sibi expostulandũ, si non habet omnium rerum intelligentiam tàm exactam, & claram, quàm beatę illę mentes ęuo æterno fruen-

fruentes, à mortali concretione, atq; labe penitus segregatæ; neq; ipsius Dei iudicium reprehendendum temerè, quod omnia maxima, atque summa non tribuerit vni, vt longissimo interuallo post se alios omnes relinqueret; cum sapientia diuina potius in eo multum eluceat, quod proprium facere noluit vnius hominis, sed communicare, quod ad communem dignitatem pertineret admodum. Non est igitur naturæ probrum, atq; vitium, sed laus, & ornamentum cõueniens, siquid aliud, maximè; plures vt sint prudentiæ, hoc est rationis participes. Et si rerum pulcherrimarum inopia grata nulli accidit, iucundissima cunctis meritò debet esse copia, qua scimus ipsarum fructum omnem contineri, & dignitatem, & vim, & præcipuum robur. Optima est igitur rationis huius conclusio, quam

III. Politicorum affert Aristoteles. εἰ δὴ τὴν μὲν τῶν πλειόνων ἀρχὴν, ἀγαθῶν δ' ἀνδρῶν πάντων ἀριστοκρατίαν θετέον, τὴν δὲ τοῦ ἑνὸς βασιλείαν, αἱρετώτερον ἂν εἴη ταῖς πόλεσιν ἀριστοκρατία βασιλείας, καὶ μετὰ δυνάμεως, καὶ χωρὶς δυνάμεως οὔσης τῆς ἀρχῆς, ἂν ᾖ λαβεῖν πλείους ὁμοίως. *Si ergò statuenda quidem Aristocratia, quæ sit principatus plurium, sed qui omnes probi viri sint, Regnum autem vnius viri; magis optanda fuerit ciuitatibus Aristocratia, quàm Regnum siue adsit, siue absit potestatis vis, modò sit integrum plures inuenire similes.* Et non multò post. ἔτι καὶ τὸ πρότερον εἰρημένον ἐστὶν, εἴπερ ἀνὴρ ὁ σπουδαῖος διότι βελτίων, ἄρχειν δίκαιος, τοῦ δὲ ἑνὸς οἱ δύο ἀγαθοὶ βελτίους. τοῦτο γάρ ἐστι τὸ, σύν τε δύ' ἐρχομένω, καὶ ἡ εὐχὴ τοῦ Ἀγαμέμνονος, Τοιοῦτοι δέκα μοι συμφράδμονες. *Ad hæc quod superius fuit dictum, si vir probus ac prudens*

ex eo, quod melior, dignus est, qui imperet; certè duo probi, ac prudentes sunt vno meliores. hoc enim est, quod dici solet. Duo simul gradientes: & Agamemnonis optatum: Tales mihi consultores decem. Quid ergò dicemus esse in causa eius rei, quam Barclaius ex historijr colligit, ac probat, vnius viri præconia decantari solita, & supra ceterorum omnium virtutes extolli? Certè non tàm præstantissimorum perexiguam copiã, quàm quod suscepit cõsuetudo, atq; hominum vita, vt rectè consultorum omnium, factorumque laus, cuius auspicio res gesta fuerit, illi tribuatur, non autem consiliarijs, ceterisq; administris, quamuis eorum fides, atque industria maximo vsui fuerit. Quàm verò multi aut sua sponte, aut temporum vitio, nunquam fuerunt in aliquo numero atq; loco? Quot, quantorumq; egregia virtus in oc-

culto versata, è circumfusis tenebris eripi non potuit; & si quando fortè prodijt in lucem, conspectumq; hominum, ad extremum tamen obruta longa vetustate, omne decus, atq; nomen penitus amisit? Verè hoc, si quid aliud, Horatius cecinit Carminum lib. IV.

Vixere fortes ante Agamemnona
Multi, sed omnes illacrymabiles,
Vrgentur, ignotiq́; longa
Nocte, carent quia vate sacro.

Exempla verò illa Miltiadis, Furij Camilli, & Q. Fabij, nihil aliud probant, quàm quod infrà suo loco meliùs explicabimus; vbi consilia fuerint capta salutaria Reip: non eligẽdos vnà plures eodem iure Duces, qui rem trahant aliò, atq; aliò in diuersa distracti, sed quidquid est opus facto, per magni referre, si vni spectata virtute, ac fide Duci committatur; ea quoq; adhibita cura, nec nõ

cau-

cautione, ne quid accipiat detrimenti summa Reipublicę. Phocionis aũt, atq; Hippomachi Apophthegmata illa, non cuiuscunque multitudinis improbant iudicia, sed promiscuæ, vulgaris, atq; adeò multùm imperitæ; paucorum, & optimorum sententias nulla ex parte attingunt. Sic etiam ratiocinatio illa ducta, atque petita ex numero stultorum, & malorum plurimo, si quid valeret, ac probaret, hoc tantum efficeret; humani ingenij prauitatem, seu imbecillitatem in ciuiles hominum cœtus Monarchiam induxisse, quamuis naturæ minus apta foret, exclusa Re publica. Dissensiones autem illæ animorum, & concertationes ob ingenitam *φιλαυτίαν*, *amorem sui ipsius* siue alia de caussa, minimum poterunt eos afficere, ne dum planè auferre, qui reipsa, non solùm nomine fuerint optimates. Quod si etiam

quid

quid leuiter incommodet, tolerari poterunt. Siquidem commodis incommoda facilè compenſantur, vbi cõtentiones ſuſceptæ de honore, atq; gloria excitant hominum induſtriã, & prudentiam exacuunt. Prçterquàm quod inimicitijs priuatis, vt res ipſa docet, plerumq; augentur publicæ vires, atque propagantur. Quod ſi peruicacia contentionũ tàm magna extiterit, vt certam perniciẽ rebus allatura videatur; argumentum hoc fuerit cuiuſdam Politiæ aut nõ ſatis in ortu ſuo primo benè temperatæ, aut incipientis apertè à ſtatu ſuo declinare, & ſenſim labefactari innato aliquo vitio: in qua ſi turbamentum fit potius, quàm temperamentum ex illa commixtione, ac conflictatione pugnantium inter ſe ſtudiorum, atq; voluntatum; nihil eſt, quod mirum, aut inſolens cuiquam videatur. Contingere ſolet

hoc facile in omnibus ijs, quę mixtà, concretaq; ſunt ex diſſimillimis rebus, vt habeant ſuum robur, ac ſpeciem, & concinnitatem, quam diu viget, & permanet moderatio illa, qua temperantur æquabiliter vniuerſa: cum autem vis ea remittitur, ac debilitatur, quæ res diſcordes, atq; aduerſantes ita coercebat, vt redderet inter ſe concordes, & cōſentientes; tum quoq; paulatim vigor omnis, atq; forma deperit, & ipſa demum coagmētatio omninò diſſoluitur. Verum de Repub. integra, firma, atq; florente, non infirma, labente, & corrupta res eſt in pręſentia. Falluntur enim, vel magis fallere nos ſtudent, qui obtrudunt vel Ochlocratiam, vel Oligarchiam prò Ariſtocratia, hoc eſt pro legitima re adulterinam, pro ſincera corruptã, & *ἀντὶ τῆς πολιτείας, τὰς παρεκβάσεις τῶν πολιτειῶν*, quod ait Ari-

ſto-

ſtoteles. Enimuerò dum celebramus Ariſtocratiam, tanquam optimam formam ciuilis adminiſtrationis, ponimus eam, vt par eſt, conſtitutam eſſe, & ſpectare in primis illum finē, quem habet propoſitum. Quo quidem poſito, vt poni neceſſariò debet, per ſe facilè corruunt, & ad nihilum recidunt, quęcunque temere ſolent aduerſus eam obijci. Multò plus autem cum labi, tùm nequitiæ loci, vbi vnus imperat, quàm vbi plures, dari, ex eo duci, ac probari poteſt euidenter, quod infra cap. 5. diſputatur ſatis copioſè; *Procliuius eſſe ad vitium Regnum, quàm Remp.*

Cuiuſnam modi ſit idea illius Monarchiæ, quam Philoſophi magnificè celebrare ſolent. Ex eo quod vnus mundi ſit rector, atq; Princeps Deus, captioſè, & fallaciter admodum concludi, magis optandum vnius imperium, quàm plurium. De varia ſimpl-

plicitatis, & gubernationis ratione non pauca præſtantia. ciuilis principatus vndenam exiſtat. Cur habeãtur ſui iuris, & liberi ciues Reipublicæ; contra vero ſerui, qui premuntur regio dominatu.

CAPVT TERTIVM.

NVlli obſcurum, aut dubium poteſt eſſe, quid ſenſerit Ariſt. de Ariſtocratia, probè conſideranti teſtimonia ſuper ius adducta: ſed quia deferre nonnumquam primas Monarchię videtur quemadmodum conſueuerunt alij celebres Philoſophi; age quid hi ſibi velint, inueſtigemus, & qua ratione ſit hoc verũ, aperiamus. Ariſtoteles ergò poſt ſatis longam diſputationem tertio politic. extremo ita rem concludit.

ἀλλ' ἐκ τῶν εἰρημένων γε φανερόν, ὡς ἐν μὲν τοῖς ὁμοίοις, καὶ ἴσοις, οὔτε συμφέρον ἐστὶν, οὔτε δίκαιον ἕνα κύριον εἶναι πάντων, οὔτε μὴ νόμων ὄντων, ἀλλ' αὐτὸν νόμον ὄντα, οὔτε νόμων ὄν-

των:

των, ὅτε ἀγαθὸν ἀγαθῶν, ὅτε μὴ ἀγαθῶν ἀγαθόν, ὅδ' ἂν κατ' ἀρετὴν ἀμείνον ᾖ, εἰ μὴ τρόπον τινά. Veruntamen ex ijs, quæ dicta sunt, manifestum est, neq; vtile, neq; iustum eße, vt inter similes, atq; pares vnus existat, qui sit omnium dominus, siue leges absint, ipse verò existat lex, siue leges adsint; neq; si bonis ciuibus bonus, neq; si malis malus imperet; ne si virtute quidem præstantior quis fuerit, nisi certo quodam modo. Quis autem iste sit modus in genere tantum, & summatim paulò post ita explicat:

διαφέροντα γενέσθαι κατ' ἀρετὴν τοσοῦτον, ὥσθ' ὑπερέχειν τὴν ἐκείνου τῆς τῶν ἄλλων πάντων. Tantum præstare oportere, vt eius virtus longè superet omnium aliorum virtutem. Sed quãtum debeat superare, hoc loco non exprimit, alibi tamen id præstat, & præsertim lib. VII. dum ait.

ἐστι ἀναμφισβήτητον εἶναι, καὶ φανερὰν

τὴν ὑπεροχὴν τοῖς ἀρχομένοις τὴν τῶν ἀρχόντων. *Ita vt extra controuersiam sit posita, & manifesta ijs, qui parent, excellentiam dominantium*. Varijs autem comparationibus, & similibus hanc ipsam rem illustrauit. Aliquãdo enim quantum inter dominũ & seruos, aut certè inter parentem & filium familias, tantum statuit interesse oportere inter genus vtrumq; vt lib. VII. aliquãdo non minùs hęc duo inter se distare, quàm vel ab appetendi vi ratio, vel à pecude homo, vt lib. I. Addit alicubi, quo nullum maius discrimen, tanquam Deum aliquem, aut Heroem inter homines esse lib. VII. Ex quibus animaduertere, & colligere licet, non celebrari à Philosopho Monarchiam simpliciter, sed ex Hypothesi quadam, seu fictione istiusmodi; *Si quis plurimùm inter omnes tanquam Deus emineat*. Nam quod in cunctis artibus fieri cõ-

sueuit,

ſueuit, vt effingatur idea quædam consumati artificis, qualis tamen re ipſa nullus exiſtit; hoc etiam à Philoſophis vſurpatum cernimus, vt ſpeciem quandam Monarchiæ comminiſcerentur, eandemq; nobis proponerent ad contemplationem tanquam omnium optimam, præſtantiſſimam, atq; abſolutiſſimam. Fieri tamen qui poteſt (atque hoc eſt rei caput) vt ad ciuiles hominum cœtus hęc accommodentur? ſiquidem primò in vnum hominem, quem gubernationi præficiunt, tot, tantaq; conferunt, immò congerunt, atque coaceruant, quanta natura hominũ capere vix queat: ideoq; affirmant vltrò, Plato præſertim IX. de legibus, fieri nunquam poſſe, vt talis vir exiſtat, qualem ipſi formant: deinde cuncta, quæ tribuerunt, ſumma, & abſoluta, eadem quoq; firma, atque fixa manere iubent: quaſi pen-

dere omnia non oporteat ab vnius hominis saltem vita, si non voluntate; quarum altera facillimè inflecti, mutariq; potest, altera verò est breuissimis terminis circunscripta. Homo igitur donandus fuerat immortalitate, atq; adeò tanta fortitudine mentis, & constantia, vt ab ingenita virtute nunquam deficeret; aut certè summum opificem, id præstare oportebat, vt nullus ante migraret ex hac vita, quā alter esset in promptu, qui ei succedere posset eadem virtute summa, necnon firma præditus. Sed vtrùm hæreditario iure, an per electionem? Nam vtraq; res habet suas difficultates. Exigeret illa, vt non tantum corporis forma, sed ingenij quoq; virtute semper nascerentur omninò similes, atq; pares liberi parentibus, prætereaq; non superstites illis nunquam essent, sed adulta iam ætate, atq; imperijs apta.

Hęc autem, vt de medio planè tollerentur odia, inuidię, factiones, animiq; pestes, quò promptis, & concordibus animis conuenirent omnes ad eum, qui pręstantissimus esset, eligendum. Sed exoptari, & haberi is minimè posset, si versaretur in occulto, & virtus eius lateret. Multi autem sunt viri probi, atque sapientes, qui consultò declinant celebritatem, vt liberiùs contemplationi vacent, cui se tradiderunt. Itaq; hos ad diuersum quoq; vitæ genus vel reluctantes, & inuitos oporteret traducere; immò rerum naturã omnium prorsus immutare, tandemq; ex homine prodigiosissimè Deum quendam efficere, si talis in hominum cœtus inducenda esset, qualis effingitur à Philosophis Monarchię forma. Quid igitur? Percontabitur aliquis hoc loco; tunc hoc Philosophorum studium putas reprehendendum, aut e-

tiam fortè reijciendum, vt inane prorsus? Bodinus quidem videtur æquè reprehensurus, ac eos, qui sibi fingũt ideam historici perfecti, qui neque fuerit vmquam, neque possit esse. Veruntamen non idea debet, sed illi reprehendi, qui pro re ducunt ideam ipsam complectendã, neq; animaduertunt illud se præposterè agere, quod non gubernationem ciuilẽ ad hominum cœtus, quorum caussa instituta fuit, accommodare nituntur; sed contrà iura naturæ ita perturbare, vt contra quàm fas est; trãsferantur, atq; adeò trahantur humanæ societatis rationes ad nescio quid fictum. Vt omittam, quod si ex voto rem oportet fingere, multò præstat omnibus ijs rebus, quæ vni tribuuntur, eadem opera exornare, & augere quàm plurimos. Magis enim communi hominum naturę consentiens, & magis ex omnium vsu id fu

turum esset. Quidni autem liceat, si minùs in re ipsa, at certè in optatis, & votis liberiùs versari; præsertim vbi de ijs fuerint nobis faciẽda, quæ maximè accidunt opportuna, nec nõ præstabilia? Sed video quid his rebus omnibus opponant. Vnus est, inquiunt, Mundi rector, atque Princeps Deus; hinc ergò ciuilis gubernationis tota ratio petẽda. Quod argumentum vt illustrius, & firmius appareat, quibusdam alijs probationibus explicant, atq; fulciunt. Habere suum apes Regem; suum armenta ducem; grues quoq; & plerasq; volucres vnum sequi. Porrò excellere in singulis naturis semper vnum aliquid: vt adamas inter gẽmas, aurum inter metalla, Leo inter animantes omnes, & Sol inter Sidera. Ex his autem concludere se arbitrantur, vniuersæ naturæ Monarchiam congruere. Quę tamen, ex-

trema prȩsertim, sunt quàm leuissima, neq; certè digna, vt aliquid temporis insumatur in ijsdem redarguendis, atq; confutandis. Nã quid, obsecro, iuris, quid habet imperij, aut adamas in gemmas, aut Sol in altissima Sidera? Vniuersȩ quidem species, atque formæ, quæcunq; cõtinẽtur vno eodemq; genere, spectare vnum aliquid solent inter ipsas eminens, idq; appellatur à Philosophis in eo genere μέτρον mensura. Sed in hominibus, qui sunt omnes eiusdem formæ, nullum constitui potest eiusmodi μέτρον, quod adhiberi solet ad res natura diuersas. Quid? cum statuere videntur velle rem ita ridiculam, vt rationis expertes animantes, cuiusmodi sunt apes, pecudes, & grues, hominibus statuãtur tamquàm μέτρον, nonne rerum inuertunt naturam, vel potius euertunt? Nam constat hominem bru-

torum magis μέζον esse, cuius vt gra tia procreata, ita imperio subiecta. Quid est igitur causæ, cur isti velint, homines regi pecudum magis, quam hominum more? Ceterę omnes animantes ad communionem, societatemq́; ciuilem non sunt aptę natę. Speciem quidem huius rei quandã illę habere videntur, quæ ad pręstãtiam humanę naturæ nonnihil accedunt: rem tamen ipsam non habent, neq́; habere possunt; propterea quòd nullius ciuilis communionis, multoque minùs imperij, verè sunt participes, quod rationis, atq; consilij constat proprium munus esse. His adminiculis cum bruta destituerentur, ingenita est illis quędã vis, & naturę propensio, qua sequerẽtur alterius ductum sine vllo consilio. Hoc autem ipsum ad homines transferre conari, quid erit aliud, quàm ex homine belluam facere?

& tamen eodem negotio ijdē moliū tur nonnullos ex hominibus vel in Deos conuertere, dum ęternę, ac diuinę vim gubernationis ad mortalium hominum cętus adaptare ſtudent, cum tamen nullus exiſtat tàm rudis, & vecors, qui celeſtia plurimum à terrenis diſtare non ſentiat, & à mobilibus, & caducis æterna, atq́; fixa; proindeq́; ab his ad illa captioſiſſimè argui, quæ ſitam in cōtrarijs habeant perfectionem ſuā. Si quidem in humanis ac terrenis rebus vt exemplo res notior, atq́; illuſtrior fiat, quo quid ex pluribus eſt concretum, & coagmentatum, eò comperitur perfectius, atq; adeò præſtantius. Neq; verò alia eſt ratio, neq́; fingi poteſt, cur homo belluis antecellat, & belluæ plantis, plantęquoq; metallis, & lapidibus, hæc verò elementis, perinde ac cetera conflata, miſtaq; ex ijſdem. Ma-

teria

teria denique prima, quod ſimpliciſſima eſt omnium, habetur omnium abiectiſſima, & imperfectiſſima. Cótrà verò in celeſtibus, atq; ęternis reb. ratio perfectionis tota eſt in ſimplicitate, idq́; perfectius, atq́; nobilius perhibetur, quod eſt magis ſimplex: Deus autem ipſe præſtantiſſimus omnium, atq́; perfectiſſimus, quoniam ſimpliciſſimus. Quare ſi cuti non liceret argumẽtari ad hunc modum. In cęleſtibus quò magis aliquid ſimplex, eò perfectius eſt; ergò in terrenis etiam, quæ cęleſtia debẽt imitari: eadem planè ratione non valet hæc argumentatio. In cęleſti gubernatione vnus eſt rector, atq; princeps; ergo etiam vnus debet eſſe in humana & ciuili. Primò quidem quia, vt argumentum rectè procedat, quemadmodum eſt vnus omnium moderator Deus, ita oporteret in terris quemdam ſummum

Principem, à quo penderent omnes alij Principes, vnum esse, & ne quid eundem fallere, aut latere posset, cũ-cta intuentem, perinde ac Deum, & vbiq; præsentem. Postea dissimilitudo naturæ, summaq; diuersitas nullam imperij communionem admittit, neq; societatem. Nam qui fieri potest, imperij vt in partem ve niat aut cum homine bellua; aut ho mo cum intelligentia; aut tandem aliquid creatum cum suo creatore? Quæcunq; sunt eiusdem naturæ societate coniuncta, hæc vt pariter, aut vicissim imperent, apta sunt. Quamobrem si eiusdem naturę, formęq; communio cum hominibus, aut intelligentijs intercederet Deo, etiam aliqua communio imperij posset intercedere. Sed quia quantum finitum ab infinito, tantum res omnes creatæ distant à summo Deo; propterea neq; sunt, neq; possunt esse

eius rei participes: quemadmodum neq; hominib. vllis pateret imperiũ, si qua foret humana societas, siue Politia conflata simul ex hominibus, atq; intelligentijs. Qua propter ẽt Philosophi statuerunt, vt si quis inter omnes ciues plurimũ excelleret instar cuiusdam intelligentiæ, siue, vt aiunt, Dei, huic vni traderetur imperium, ceterique obedirent. Id verò, vt superiùs quoq; non semel admonui, non est absolutè, ac simpliciter Monarchiam celebrare; sed per quandam hypothesim, & in hãc sententiam. Si ciuitates, & hominũ cœtus ita Deo iubente ab aliqua diuersa natura gubernandi essent, quæ longè mente humana superaret oĩa, tunc iure Monarchiæ locum datum iri, atq; hoc futurum genus optimũ administrationis. Quid ita? quoniam ea, quæ sunt ab inuicem plurimum disiuncta, imperij societate

 copu-

copulare inter se non licet. Hæc enim est potissima ratio, eademque certissima, cur hanc rerum vniuersitatem Deus vnus regat, ipse non debeat, neq; possit ab vllo alio regi: summa diuinæ naturæ dignitas, & præstantia, à qua remota vniuersa quam longissime absunt. Enimuerò hic futuros aliquos intelligo, qui periculi magnitudine probè animaduersa, si moles eius argumentationis, qua pręcipuè nituntur, & in qua præsidia sua cuncta collocarunt, labefactata vehementer ad extremum concidat, vel sustinere, vel reparare eādem aggressi, vt quæ à nobis posita sunt, facilius oppugnent, his opponere illud connitātur: simplicitatem pariter, & gubernationem in eo rerum genere collocatum iri, quę attributa diuina nuncupātur, quęq; suapte natura perfectissima sunt, & in quacunq; re inueniantur, eandem

vim

vim retinent. A nobis igitur falsò prædicari aliam, atq; aliam rationem vtriusq; esse, in terrenis, atque in cœlestibus, & diuinis rebus. Et si verò quæcunque exempli gratia referuntur, ea necessariò præstāda nullus vnquam duxit, & satis haberem dicere de simplicitate, auctorē D. Thomam me libēter sequi prima sū. quęst. III. art. VII. ad II. arg. quidquid & Scotus pr. sent. d. VIII. q. I. & alij cum eo senserint; vt tamen omnes aditus aduersarijs pręcludā, neq; cuiusquam auctoritati plus detulisse, quam quantum esset tribuēdum, alicubi videar, idcircò res quo modo se habeat, penitus inspicere, & pauca de simplicitate ante statui dicere, quàm gubernatio ciuilis à me expediatur. Nego itaq; simplicitatem perfecti quippiam, si genneratim sumitur, & non propriè in Deo, vel cohibere sua vi, vel nota-

re posse. Nam simplex ita composito ex aduerso respondet, vt nullam certam rationem, & pręcipuam vim, quemadmodum est perfectionis, ac præsertim summę, sed tantum quodcunque vacat, & qualitercunque omni genere concretionis, & compositionis, id confusissimè notet veriùs, quàm in se contineat: ex quo non alia communio existit, quàm vocis inter ea, quæ longissimè distāt immò ἐκ διαμέτρου *ex diametro*. Nam quædam res compositione tantū ob id caret, quò se facilius adiungat omnibus: atq; omnia suscipiat, quę propensio fuit illi à natura ingenita, ut cum esset imperfectissima, nec non abiectissima, inde perfectionis non nihil sibi compararet: & hac ratione dicta simplex est materia prima, longè alia (quod facile apparet) quā sūmus Deus, qui ab omni concretionis labe alienissimus est,

re-

rerumq; omnium perfectiones vniuersas continet, non dispersas, dissipatasq; vt in rebus singulis, neq; vtcumq; coeuntes, & coagmentatas, sed ita, vt vnum sint penitus, atq; idẽ, quod ipse. Id autem genus simplicitas est attributum diuinum, proindèq; absoluta perfectio, siue, vt aiũt, simpliciter. Simplicitas autem vniuersè communis est vox, quæ vim non habet designandi, aut declarãdi quidquam, nisi compositionis cuiusq; meram uacuitatem. Sed ad ciuilem gubernationem iam reueniamus. Hęc ex ea parte quid & perfectum, & diuinum continet, quatenus habet potestatem ad regendos populos, non ab alio tributam, quã ab ipso Deo, & ex ipso diuinæ naturę fonte sic ex æquo manantem, vt inde plus dignitatis Regnum sibi sumere, quàm Respublica vlla, nec debeat, nec possit. Ex qua verò parte

eadem hæc humana ſunt, hoc eſt hominum inuenta, atq; cogitata, quę ſanè vis eſt innata eorumdem, & propria, non poſſunt eſſe cunctis numeris abſoluta; & quo minus Deo tribuantur, nihil quidē obſtat; ſed ea tantum ratione, atq; adeò notione, qua cetera, quæ propriè inſunt in humanis rebus, cuiuſmodi ſunt, eſſe agricolam, paſtorem, & Patrem familias. Cum enim hæc per ſimilitudinem transferātur in Deum, vix, præter communionē nominis, quidquam aliud ingerunt. Deſinant igitur aduerſarij temerè id iactare: conuenire in Deum Regnum, non Ariſtocratiam. Nam ſpecies omnes ciuilis adminiſtrationis accepta referunt hominibus, ę què ortus ſui primordia: omnes pariter egent conſilio, & deliberatione; proptereaque alieniſſimæ ſunt à diuina natura, niſi quatenus aut ſummam illam poteſta-

ſtatem continent, quam rem diuinã eſſe, non humanam conſtat, aut etiã verbo tenus quãdoq; adſciſcunt, ducta ſimilitudine ex humanis rebus Sed hoc eorum pleroſq; in fraudem induxit, quod extra cõſtitutos fines, terminoſq; egreſſi, formã gubernationis contẽplati ſunt aut phyſico, aut metaphyſico, potius quodam more, quã legitima ratione, nimiũ politica. Nã ratio gubernationis in cõmuni ſumpta, triplici ferè modo cogitari poteſt, animoq; concipi. Primo quatenus *ἀδιάφορος indifferens* eſt; & cuiuſmodicumq; multitudini regendę applicari poteſt. Secundo quatenus re ipſa certæ multitudini, quę conſtat ex rebus maxime diſſitis, applicata eſt. Eiuſmodi ſunt, quæ diuerſis generibus continentur, præcipuè verò decem illis, quæ ſuprema dicuntur. Poſtremò quatenus ijs rebus eſt adiuncta, quæ minimum dif-

ferunt; cuiuſmodi ſunt omnes homines formæ eiuſdem participes; & hac ratione duntaxat ad Politicum pertinet: ceteræ verò contemplationes alienæ ſunt, ad phyſicos, atq; metaphyſicos omnes reijciendæ. Cum verò tàm vniuerſę actiones, quàm actionum principia ab ea re, circa quam uerſari ſolent operando, atq; agendo, præcipuam vim, & rationem ſumant, qua diſtinguũtur ab alijs; forma quoq; ciuilis adminiſtrationis ab hominum ſocietate, cui regẽdæ adhibetur, totam ſuam vim, & rationem, & naturam obtinet. Quandocunq; igitur inter ſe conferendæ ſunt, aptèq; ſuis ponderibus examinandæ Monarchia pariter, atq; Ariſtocratia, communione ciuili adhibita tamquam libra, vnaquęq; in ſuam lancem imponi debet, quò pateat intuentibus, vtra deprimat alteram. Communio verò

rò ciuilis continere non poteſt, niſi res inter ſe tàm ſimiles, quàm ſunt homines: manat autem omnis hæc ſimilitudo ex duplici fonte. Alter eſt ipſa natura capax rationis, omnibus communis; alter autem quædam res pręcipua, & non ita communis, quam ciuilem virtutem, ſeu prudentiam appellari docui. Vtrinque deriuata quando in vnum confluit, tum demum efficitur eą perfecta ſimilitudo, quę honorum communicationem, atque imperij exigit, modò vincula non reuellat obligatæ fidei, & aditum non aperiat ſceleri, atq; fraudi ad poſſeſſiones legitimas conturbandas. Quoad igitur fas eſt, quoad licet, quoad nihil incurrit, quod alterius iura, ęquitatē, atq; fidem violet, adminiſtratio ciuilis ita inſtituenda, vt neq; priuatorum numero, & loco habeantur, quicunq; ſunt excellenti, & eximia vir-

tute,

tute, neque vulgares homines illis adæquentur, non ſatis habiles ad ſuſtinendum imperij onus: alioquin, vt rectè monet Ariſtoteles ἀδικήσονται ἀξιούμενοι τῶν ἴσων, ἄνισοι τοσοῦτον κατ' ἀρετὴν ὄντες, καὶ τὴν πολιτικὴν δύναμιν. *Iniuria fiet ipſis, ſi pari conditione cenſeātur, cum exiſtant impares adeò, & inęquales virtute, facultateq́ gerendi negotia publica.* Neq; verò tantum fore valdè odioſum, ſed æquitati, & naturę parum conſentaneum, niſi qui ſunt æquales inter ſe, atque pares, ijs tribuantur ęqualia, & paria, cenſet Polit. VII. Ariſtoteles, cuius verba ſuperiùs recitata ſunt. Itaq; ſi aut primam illam naturę communionem inter omnes homines (quanquam hæc ſola non ſufficit, vt ſatis monuimus) aut alteram præcipuam, quæ imperio verè dignos facit; aut potius vtramque ſimul ſpectare velimus:

mus:

mus: minus vtriq; rationi congruet Monarchia, quippe quæ res omnes ad solitudinem quandam redigit, ideoq; in societates liberas minimè inducenda, quandocunq; libera est optio, vt non semel est dictum, nisi per hypothesim illam adeò celebratam; si quis excellat tantum inter alios omnes, vt appareat Deus quidam verius, quàm mortalis homo: vel certè si multitudo, quę regi debet, sit admodum rudis, agrestis, horrida, & inculta. Siquidem homines ingenio liberali pręditos, disciplinaque, & moribus, vt par est, excultos, ęquabilitas iuris cum primis decet, imperandiq; ac parendi communes vices. Hic autem superiorum renouanda memoria; cum ratio tota ciuilis administrationis ex parentibus conflata sit, atq; ex imperantibus, sed illorum potissimum causa, hoīū non item; optimo quoque iure, non

hinc

hinc, verum illinc principatus præstãtiam inuestigari, oportere. Quod quidem ab Arist. factum memini, qui Polit. lib. I. de parentibus; atq; imperantibus cum sermonem haberet, mox imperantibus omissis, ita rem concludit. καὶ ἀεὶ βελτίων ἡ ἀρχὴ ἡ τῶν βελτιόνων ἀρχομένων, οἷον ἀνθρώπου, ἢ θηρίου. τὸ γὰρ ἀποτελούμενον ἀπὸ τῶν βελτιόνων βέλτιον ἔργον. *Et semper eò melior principatus, quò meliores ij, qui parent imperio; vt homines, quàm belluæ. Quod enim opus perficitur à melioribus, id est melius.* Non igitur inficiamur, quod est explicatum, in pręstantissimo regimine statuendo, si tantum modo illius, qui tenet imperium, aut certè potissimam rationem habere oporteret, facile primas omnium Regno dandas esse. Veruntamen quia res multò secus, immò contrà se habet, Reipublicę omnino cõcedere Regnum est

necesse:

necesse: cum præsertim ex historiarum monumentis constet, quicunq; summo imperio vnius regis premuntur, multò deteriori esse conditione, quam ciues Reipublicę. Non enim possūt vt effugere seruitutis nomen: tametsi non ita serui, vt habentur mancipia, quia de ciuili principatu res est in pręsentia, non de imperio, quod herile dicitur, siue dominatus; sed eatenus propriè Regi seruire dicuntur, quatenus habere non possunt ius id summi imperij, quod optimatibus communiter intercedit, alteriusq; potestati commissi videntur, tanquam ab obeundum hoc munus per se minùs apti. Seruus autem is dicitur, qui minùs ingenio valet; ea mentis vi, & facultate non satis instructus, qua rectè sine adminiculo alterius operari queat, rationem, & vim operandi totam illi tribuentis. Et quoniam finis etiam operationi

tioni respondet, quemadmodum seruus pendet ab alio, vt pręcipuo agente, sic etiam pendet aliunde in fine assequendo. Nam reuera magis operatur ad finem illius, à quo mouetur, & regitur, quam ad finem suum. Ex quo fit, vt seruus alterius gratia, siue caussa; liber autem contra dicatur existere, sua, & eò plenioris quisque compos libertatis, quò minus aliò spectare cogitur, suaq; omnia referre, in vtròq; genere pariter, & finis, & efficientis. Ciues ergò, qui versantur in sua Republica communis imperij, & quidem æquo iure participes, non magis alienis commodis seruiunt, atq; suis, neque alterius magis arbitrio, quàm proprio reguntur: parentes autem vni regi, aut supremo Principi, licet ad aliquod munus imperij ab eodem vocētur, omnes tamen illius nutus obseruare coguntur; quandoquidem to-

ra inde pendet ipſorum auctoritas; & preterea conatus omnes, induſtriã, & ſtudium, ad illius commoda, & amplitudinem precipuè referre. Quapropter omninò compotes non ſunt libertatis, neq; cum illis vllo pacto conferendi, qui nati, atq; educati in libera ciuitate quidquid imperij, atque iuris comparatum habent, alijs acceptum non referunt, quàm ſibimet ipſis, & peregregiè tueri, atque augere ſtudent hoc decus, & ornamentum per manus à maioribus traditum. Quo fit, vt auctores grauiſſimi accipiant hæc duo, eſſe in Regno, & in libertate, vt pugnantia, & oppoſita: & qui Regum imperio parent, eos ſeruire dicant; liberos autem, & ſui iuris ciues Reipublicę. Quod ſanè rationes expoſitæ apertè demonſtrant, in ſingulos cadere, non modo in omnes generatim. Licet enim contingere ſæpe videamus, vt

apud

apud Reges nonnulli valde gratiosi vsq; adeò floreant cùm opibus, tùm auctoritate, vt quod ait Creon apud Sophoclem in Oedipo tyranno τύραννα δρᾶν, *quæ Reges possunt, ea præstare* valeant; hęc tamen res est paucorum, neq; ad singulos pertinet, neque manat ex ingenita vi gubernationis, sed ex aduentitia re pendet, hoc est illius nutu, quo reguntur pariter vniuersa publica, & priuata. Frustra ergo Barclaius lib. III. vt rem in angustum contrahat, & de solida Rerumpublicarum libertate detrahat non nihil, laborat, dum singulos sub Regibus maiori multò libertate, quàm in populari dominatione tradit frui solitos. Id verum nec ne sit, pugnare nil attinet: satis est nullatenus attingi Aristocratiã, nominatim expressa per ipsum Democratia. Non me latet quosdam eruditos viros, vt Ludouicum Moli-

nam

nam de Iuſtitia tomo I. tract. II. Diſput. XXIII. Franciſcum Victoriam de poteſtate ciuili num. XI. vtramq; complexos, nõ minus eſſe libertatis in Monarchia, quàm in ceteris regiminibus ſcriptum reliquiſſe; ſed hac vna rõne, eaq́; infirma ductos, quod in his plures domini ſint, illic vnus tantũ. Quaſi verò inter plures quoq; tributa non ſint, aut principes, aut præfectos, aut duces regia quæque munia, nullaq́; impoſita neceſſitas ijs obtemperandi. At enim ſupremi domini nuſquam ſunt, quippe qui ſummo imperio vnius omnes continentur. Atqui etiam vnius Reipublicę maieſtati ſuos faſces ſũmittũt quotquot in ipſa Magiſtratus, & honores obtinent: quapropter ſupremi domini appellari nequeunt. Veruntamen in eo fraus omnis, & fallacia latet, quod nullis inficiantibus vnũ fore Principatum, ſiue vnus, ſiue plu-

res fuerint dominati, supremęq; potestatis rationem minimè multiplicem, nisi materialiter, vt scholę modò loquuntur, hoc est eorum, qui præsunt, habita ratione, quæ res dominatum non variat, neq; in plures diuidit; huius tamen insita vi neglecta, aut posthabita, quæ colligit omnia in vnum, atq; coagmentat, quæritur nescio quid singulare, atq; solitarium, præter id, quod ratio cõmunionis ciuilis, & natura postulat. Qua de re cum sit inferiùs adhuc nobis disputandum, pluribus agere in pręsentia minime erit opus. Est alius ex recentioribus haud ignobilis auctor Io. Casus Sphęræ li. III. cap. III. qui libertatis nomen ita distinguendum putat, vt ea spectetur vel ex arbitrio, siue voluntate, vel ex ordinis ciuilis, & rationis præscripto: hanc autem libertatem verè existimandam, quæ in Regno primum

vigeat, tum inter optimates; illam in populari ſtatu maiorem videri, quæ tamen licentia potiùs, quàm libertas ſit. Veruntamen vtraq; notio pertinet ad Ethicam, quæ virtutes, & perturbationes animi conſiderat. Politici eſt libertatem ita contemplari, quatenus ex altera parte ſeruitio reſpondet, & operantem primò, ac per ſe notat in rem ſui ipſius, non autem alterius gratia, niſi contingenter, habentēq; in ſummo imperio non nihil iuris; & hac ratione accipere ſolent libertatem, quotquot à Regno ſecernunt liberas ciuitates.



Iustitiam magis vigere in Aristocratia, quàm in Regno, contra quàm Iusto Lipsio visum fuit monere. Aristotelis locus, vbi expressè hoc tradidit, à Barclaij calumnijs vendicatus. Quænam ciuilis administrationis labes omnium sit deterrima; Regnine, an Aristocratiæ, seu Democratiæ. Sententię Polybij, D. Thomæ Aquinatis, nec non Aristotelis de optima temperatione simplicium formarum, in qua tamen tota regni vis abeat in Remp. Quid sibi velit Aristoteles, vbi statuit, præstare multò legi parere, quàm homini.

CAPVT QVARTVM.

NOn modò inter se concordiæ, & beneuolentiæ, sed etiam communis vsus, atq; vitæ vinculo coniuncti semper esse debent, & qui parent, & qui imperant. Id verò pręstat Iustitia fundamẽtum virtutum, sine qua prudentia nihil valet, vt ait M. Tullius offi. lib. II. Hanc quoque laudem sibi vendicat Aristocratia, quòd in ea magis emineat Iustitia, quàm

quàm in vllo Regno: Si quidem habet iudicia magis incorrupta, & ſincera. Negat id Lipſius libr. II. cap. I. qui tertio loco ita monet: *In vnius principatu iuſtitiam magis exerceri.* Atqui Ariſtoteles hoc affirmat, quod à Lipſio negatur. Vtri magis credendum? Sed argumenta videamus. Arguit ita Lipſius. *Rex, aut ipſe ius dicit, aut qui dicant eligit, & deſignat. Si ipſe; ſupra metum, aut gratiam eſt; magis auaritiam; & nihil iſtis, quæ præſtringere oculos iudicantium ſolent, donat. Si alij; ſunt tamen ab ipſo, & cura eligit, & electis iam ſupereſt, & intendit. Non ſunt ijs ſic libera iudicia, vt non iudicium huius metuant, & ſi quid fœdius patrent, pœnam. In alio ſtatu quid ſimile? Si ad optimates is; factio, & agnati, & amici occurrent, & alternis inter ſe ius, aut iniuriam gratificantes.* Hęc ſunt argumenta Lipſij.

Aristoteles autem ipse longe aliter differit, & exemplo aquæ, cuius difficilius corrumpitur maior vis, & copia, probat iudicia in Rebusp. non corrumpi ita facile: & præter id exẽplum eam rationem affert, quia multitudo præsertim non vulgaris, & vilis, sed liberalis, & moribus non nihil exculta, iracundiæ, prauisq; cupiditatibus minùs est obnoxia, quæ peruertere solent mentem, rectumq; iudicium, quàm vnius hominis arbitrium, siue ipsa voluntas, quæ minimo negocio flecti potest, nec non immutari, prout animi libido, cœcaq; cupiditas iusserit. Huic autem non tantum seruire, atq; obsecundare, sed necessariò parere alios oportebit, quotquot à Rege designati fuerint, vel Lipsio teste, qui fatetur, ijsdem iudicia nõ sic esse libera, quin iudicium eiusdem, & pœnam quoq; reformident. Quare sicuti falsissi-
mum

mum est illud, quod primo loco ponit; Regem supra cupiditates vniuersas esse, ceterásq; animi perturbationes effrenatas; sic etiam non habent locum, neq; vera sunt, quę de iudicibus à Rege designatis subijcit. Quod autem attexit de factionibus, & agnatis, mutuoq; gratificandi studio inter optimates id etiam quonã modo refelli debeat, Polit. libr. III. Aristoteles docuit, qui propositam quæstionem his verbis concludit.

εἰ δὲ δὴ τοῦτο μὴ ῥᾴδιον ἐν πολλοῖς, ἀλλ' εἰ πλείους εἶεν ἀγαθοὶ καὶ ἄνδρες, καὶ πολῖται, πότερον ὁ εἷς ἀδιαφθορώτερος ἄρχων, ἢ μᾶλλον οἱ πλείους μὲν τὸν ἀριθμόν, ἀγαθοὶ δὲ πάντες; ἢ δῆλον, ὡς οἱ πλείους. ἀλλ' οἱ μὲν στασιάσουσιν, ὁ δὲ εἷς ἀστασίαστος. ἀλλὰ πρὸς τοῦτ' ἀντιθετέον ἴσως, ὅτι σπουδαῖοι τὴν ψυχὴν, ὥσπερ κἀκεῖνος ὁ εἷς.

Si autem id non est facile in multitudine, nimirum vt incorrupta sint

iudicia, *at ſi fuerint plures viri probi, atq; ciues, vtrùm minus poterit corrumpi vnus tantum princeps, atq; dominus, an numero plures, & omnes probi viri? Plures certè; vt conſtat. At enim hi ſeditionibus agitabuntur; ille autem à ſeditionibus liber erit. Sed huic rei fortaſſe ita erit occurrendum, plures eos viros tàm benè, ac præclare animatos fore, quàm illum vnum.* Notari debet in primis hic Ariſtotelis locus, quia multa, quę ad rem noſtram faciunt, peregregia continet. Nam primò multitudinis conſilia, & iudicia non ſatis integra, atq; incorrupta eſſe poſſe oſtendit, quod etiam M. Tullius non ſemel pro Planc. & pro Murena teſtatur. Cui enim ſunt occulta illa, vel ignota? *Populum nõ delectu aliquo, aut ſapientia duci ad iudicandum, ſed impetu nonnunquam, & quadam etiam temeritate;* &, *nullum fretum, nullum euripum tot mo-*

tus

tus, tantas, tàm varias habere agitationes fluctuum, quantas perturbationes, & quantos æstus habeat ratio comitiorum. Quę certè non tantum de multitudine aliqua sordida, & agresti, sed etiã liberali, & ciuili sunt accipienda; nisi quis impudẽter pertendere velit, omni vita, omniq; cultu Populum Romanum, neq; excultum, neq; expolitum omnino fuisse; neq; secum modo ita de suis ciuibus Ciceronem sensisse, sed palàm quoq; ac publicè idem prędicasse. Hoc igitur primum colligimus hic ex Aristotele; nullius esse roboris argumentum id, quod ita regerunt: ergò Aristocratię popularem statum pręferendum, in quo sint magis incorrupta futura iudicia, propterea quod multò plures iudices existunt. Quasi verò numero tantum sit res metienda, non ratione, ac prudentia, qua præstant optimates. Alterum colligitur

à nobis

à nobis ſuperiùs traditum, quidnam ſit reſpondendum obijcienti, vel con iunctiones, & mutua gratificandi ſtu dia, vel diſſenſiones, ac ſeditiones inter optimates. Excipitur enim, quod æquum, ac veriſſimum eſt; ſingula ſpectanda fore, atque examinanda, quatenus integra ſunt, & non deprauata; ſi quidem neceſſe eſt, vt ait ipſe Philoſophus Polit. III. τὰς ἡμαρτημένας, καὶ παρεκβεβηκυίας ὑστέρας εἶναι τῶν ἀναμαρτήτων πολιτειῶν. *Vitiatas, & degeneres Politias eſſe poſteriores ijs, quæ non ſunt vitiatæ.* Huc accedit porrò Reſpublicas optimè inſtitutas multò difficiliùs diſcedere à ſtatu ſuo, quã vnius principatum vel optimè conſtitutũ. Eſt profecto veriſſimũ id, quod vulgò fertur: Neminem fieri peſſimum de repente. Sed multò magis cadit hoc in plures, quàm in vnum hominem, qui fieri deterior poteſt quàm

breuiſ-

breuissimo tēpore, præsertim in summo imperio, vbi parem non timet, & in summa licentia, quæ peccati est maxima illecebra. Exemplo fuerit C. Cęsar, qui Tiberio successit, initio clemens; & popularis, atque satis pius; mox erumpentibus vnà vitijs omnibus, supra fidem facinorosus, infamis, & perditus. Contigit idem cum Neroni, tùm Domitiano; qui probitatis, & modestiæ edito specimine, in grauissima quęque scelera extemplò effusi, tyranni tandem euaserunt minimè ferendi. Habet nimirum hoc prospera fortuna, ut afferat quosdam spiritus, atq; animos efferat, vbi res omnes fluunt ad voluntatem, insolentia nimia. Accedit comes arrogātiæ confidentia, & securitas, quæ nedum trahit ad improbitatem, sed ad summam vecordiam, & demum impellit in furorem, atq; immanitatem. His au-

tem pestibus non ita facilè sunt propositæ, ideoq; firmiores, ac tutiores optimæ Respublicæ. Atq; hoc ipsũ est, quod Aristoteles tradit; Plures posse corrumpi difficiliùs, quàm vnũ. Scio Barclaium lib. I. contra Monarchom. non tantum dissentire, sed ẽt redarguere Aristotelem, tanquam mentientem; quandoquidem ex historijs constare ait, in regimine, vel multorum, vel paucorum nullum grauius, aut frequentius incommodum fuisse deprehensum, quã quod per corruptelas importaretur, maximè verò per auaritiam, & per ambitionem, quibus facillimè singulos ex multitudine, Reges vix vmquam contingat deliniri, & capi. Nam ij muneribus, & largitione corrumpi qui possint, qui versantur in summa affluentia, atq; rerum copia? quanam verò ambitione ijdem stimulari, qui ad supremum fastigium iam

diu

diu peruenerunt? Contrà verò in priuatæ conditionis hominibus has geminas cupiditates hęrerę tàm facilè, ut nihil procliuius ſit, quàm illos corrumpi. Hinc eas nundinationes ſuffragiorum Romæ fieri ſolitas, quę compulerunt ad exclamandum Iugurthā Regem apud Saluſt. in bello Iugurthino. *O Vrbem venalem, & citò perituram, ſi emptorem inuenerit.* Veruntamē ſi uenalis erat tempore Iugurthæ, citòq; peritura, vt ipſę prædicabat, Reſpublica, deſciuerat vtiq; à ſe ipſa, & degenerauerat, & non erat amplius integra, ſed vitiata, & corrupta, atq́; vt Ariſtotelis ipſius verbis vtar, ἡμαρτημένη, καὶ παρεκβεβηκυῖα. Quo fit, vt in eodem luto Barclaius hæſitet, in quo Bodinus, & alij ſupra confutati. Quæ verò de auaritia, & ambitione diſſerit pręcipuè; ſuccūbere minus vtriq; vitio Reges, quàm priuatos homines;

nes; quàm certa, quamq; vera hæc, profectò nescio. Eorum enim, qui suo commodo, non publico ita seruierunt, vt omni diuino, atque humano pessumdato iure, expilarint quàm immanissimè populos subiectos, refertæ sunt exemplis innumeris ętates, atq; historiæ omnes. Quid verò de Imperij propagandi libidine dicam, quæ atrocissima bella tã sæpe conflauit? nonne multò acrioribus stimulis hæc pestis exagitat elatissimos eorum animos, immensosq; spiritus à quibus perpetuò tenẽtur simul omnia delata, quàm moderatas ciuium mentes, qui per vices imperant, & propterea æquo iure consueuerunt viuere? Sed gratia disputationis vtrumq; demus, non minùs ambitioni, quã auaritiæ ad vnũ hominem præclusum aditum, atq; obsęptum fore: Quid prauis, & effrenatis alijs affectionibus plurimis, quibus

quibus mortalium animi tantoperè infestari solent? Irę, qua nihil est cōcitatius, nihil turbulentius; Odio, quod in omne facinus impellit crudele, ac nefarium; Amori, qui mentem excœat, tàm sui, quàm suorū; Audaciæ, quæ quò magis eminet, eò deterior est; Metui, atq; suspicioni vel animo ingenitæ, vel à malignis, & peruersis hominibus fraudulenter iniectę, quæ multorum, magnorumque malorum sæpe causam præbet? Hæc omnia nonne multò faciliùs, atque vehementiùs occupant vnius hominis sensum, quàm plurimorum, tantoq; altiùs insidere solent in magnis principibus, quò maiora commoda suppetunt illis, maioraq; adiumenta, quodcunque destinauerint animo facinus exequēdi in summa licentia, potestate, atq; impunitate? Quamuis igitur minùs Reges, quàm quisq; optimatum cū ambi-

ambitioni, tùm auaritię forte manus darent; quod quidem non adeò certum est, vt controuerti non debeat; tamen argumentari nullo modo licet ex duabus rebus tãtummodo ad genus vniuersum, cum pręterea sint adhuc alia non pauca, nec parua, quibus hominum mentes, atq; studia deprauari queant: neq; vero dũ taxat ea, quæ allata, vt pręcipua, sed alia quoq; ex ijs capitibus deducta, atq; propagata; arrogantia, procacitas, peruicacia, inuidia, fraudes, & perfidia. Adde voluptatum illecebras, inertiam, insatiabile abdomẽ, & flagitia cetera, prætereaq; assentationes, amentiam, & furorem pręcipitem. Nunquid hę pestes magis in alios, quàm in Reges grassantur? Optarem certè prorsus ita rem se habere; sed vereor, vt suffragentur exempla, si minùs rationes. Quàm multos enumerando complecti licue-

rit, qui ſeſe inuictos præſtiterint ab his monſtris? Euolue annales; excute monumenta, & vetera, & noua; circumſpice florentiſſima quæq; imperia, atq; regna; quoquò te verteris, haud multò plures intuebere, quàm qui facilè valeant, vt aiebat ille, in vnius annuli pala ſimul omnes ſcalpi. At Reſpublicæ modò tres (vt aliæ taceantur) Athenienſium, Spartanorum, atq; Romanorum, antequàm degenerarent ab inſita probitate, fontes, & ſeminaria extitiſſe nouimus temperantię, modeſtiæ, ac virtutum omnium. Non igitur ſine cauſa ſcribit Ariſtoteles; plures corrumpi quàm vnum difficilius eſſe: neq; id erat à quoquam temerè in dubium vocandum, ac multò minùs aſſeueranter improbādum, & reijciendum. Quod enim tanquā abſurdiſſimum Barclaius hinc colligit, prętantiorem fore gubernatio-

nem plurium, quàm vnius; hoc à no bis contenditur, atq; in pręsens vrge tur. Neq; verò satis idonea ratione infirmari, neq; vlla inconstantia po test eleuari, cujus idem insimulare audet Aristotelem, propterea quòd scribens ad Nicomachum lib. IIX. cap. X. cũ tres regiminis formas enu meraslet, Monarchiam, Aristocratiam, & Timocratiam, omnium opti mam statuerit esse Monarchiam. Nã ibidem suum sensum explicat, atque ostendit Philosophus, id accipi non debere de alia Monarchia, quã quæ solet effingi, vt exẽplum quoddam. Sic enim ait ὀυ γὰρ ἐστὶ βασιλεὺς ὁ μὴ αὐτάρκης, καὶ πᾶσι τοῖς ἀγαθοῖς ὑπερέχων, ὁ δὲ τοιοῦτος ὀδενὸς προσδεῖται. *Non est enim Rex, qui non sit per se sufficiens, atq; omnibus bonis multùm antecellat. Talis autem nullius indiget rei.* Eiusmodi certè Regem hoc loco descriptum, qui sit in-

stru-

ſtructus ornamentis cunctis animi; atq; corporis, diuitijs quoque, & copijs omnibus abunde paratus, vt cumulatis his bonis omnes nimium quantum ſuperet; quis non videt in eo genere Monarchiæ deſignatum iri, quæ ad exemplar diuinæ gubernationis inſtituta, vt diximus, proponitur ad contemplandum vt abſolutiſſima? Equidem illa duo, quæ Regi tribuuntur, vt nullius rei ſit indigens, ſed omninò αὐτάρκης & ſufficiens, vix vlli mortalium conuenire hac in vita poſſunt. Hæc autem licet vt exempla ſupponi queant abſolutiſſimæ, ac præſtantiſſimæ Monarchię, qualis tamen re ipſa nulla vſpiam exiſtit, ſed animo, & cogitatione tantùm continetur; nihilominus vniuerſum genus Monarchiæ, cuiuſmodi viget, ac vigere poteſt inter cœtus hominum, nullo modo anteferre licebit Ariſtocratiæ, quæ

propterea est in primis apta rationi ciuili, quia communi naturæ quàm maximè congruit, hoc est vtrique cõioni superius expositæ, quodq; præterea confert ad stabilitatem, agit ea fundamenta, vbi sedem habet, quæ non qualibet impulsione, aut agitatione, secus atque Monarchiæ contingit, facilè mouentur. Sed cum ijs hactenus, qui ab Aristotele dissentiunt, sermo nobis fuit. Reliqui sunt, qui non grauate hoc assentiri videntur; *Multò facilius vnum hominem vitiari, quam plures*; sed aiunt hominum vitio adscribi oportere, cum nullius virtus absoluta, cumulataq; existat: contrà verò quidã contendunt, ac probare nituntur, id argumentum esse præstantiæ, ac nobilitatis, Aristotelicumq; illud Pol. lib. IV. libenter vsurpãt. ἀνάγκη τὴν μὲν τῆς πρώτης, καὶ θειοτάτης παρέκβασιν εἶναι χείρισ[τ]ην. *Necessarium*

est

est, vt primæ, ac maximè diuinæ administrationis labes omnium sit deterrima. Ex quo tyrannidem mox colligit idem esse quàm deterrimam. Veruntamen aliqui adsunt Monarchiæ patroni, qui multò maiora incommoda existere disputant ex Aristocratia vitiata, quàm ex vllo Regno. Hæc autem discrepant inuicē καὶ δὶς διὰ πασῶν *bis per omnia*. Sed quoniam causari possunt, esse cuiq; integrum, quæ sibi videatur potior, illam viam insistere, operæ, credo, pretium est hos aggredi singulos, excussisq; ex ipsorum manibus, aut extortis telis, inter se diffidentes facilius obruere. Nam qui conditionē humanam commiserantur, & miserias communes non tantum deplorant, sed cogitatione detrahere saltem ipsa student, quando re id assequi, ac præstare nullo modo possūt, tam ieiuni, maligniq; animi esse nō

oportet, vt uni, aut alteri tantummodo consultum velint; ceteros omnes plane vacuos, atq; inanes relinquāt. Itaq; si ex tam benigno fonte, atq; adeò inexhausto, si non tantumdem ad singulos, qui nonnihil sapiunt, quod ęquitati cum primis consentaneum foret; at certè, quod huic est proximum, deriuari sinant, quantū videtur opus fore Aristocratiæ; ita res integra nobis adhuc reseruabitur. Nam re pro æquitatis ratione probè tēperata, vt cumulatior existat vnius hominis virtus, quàm ceterorum omnium, fieri numquam poterit. Culpantes igitur humanam imbecillitatem ita dimittamus. Iactantes porrò sermonibus crebris illud axioma. *Vbi corruptum fuerit, eò deterius euadere, quò vnumquodque præstantius in suo statu fuerat*: Vtrū sibi concedi velint; de ipsis quæsierim; Regnine labem maiorem, an

vllius

vllius Reipub.? Nam si prius illud vt demus non modo postulant, sed vltrò sibi sumunt vel inuitis nobis; desinant ergò in posterum id vociferari; *satius esse tyrannum vnum perpeti, quàm multos*, eoq; nomine Respublicas vniuersas damnare. Sin hoc tueri præfactè animum induxerint, alterum certè nobis relinquere omnino cogentur, atq; ita è manib. amittent, immò verò ad nos transferent argumentum illud præstantiæ, ex minori labe. Sed Aristotelis, inquies, auctoritas obstat. Cur igitur quæ constare non possunt, ea cõiungis, ac socias; esse, ac non esse pariter summam hanc, atq; illam labẽ? Quin expedire pergis rem, quomodo se habeat? Aristoteles enim proculdubio disserit eo loco, non de quacunque regni specie vsitata, & vulgari, sed quæ disertè uocatur πρώτη, καὶ θειοτάτη *præcipua, & maximè diui-*
 na.

na. Fac aliquem consilio, ac mente vsque adeò valere, vt quàm longissimo interuallo post se omnes relinquat, immò ad naturam diuinam quàm proximè accedat: certè quæ tàm ingentem virtutem corrumperent, ea vitia summa oporteret esse, atq; ita violenta, vt non modo impressionem quàm acerrimam facerẽt, sed conuellerent animum prorsus de suo statu, immanitate vehementi quadam efferatum. Quod autem sibi nihil aliud velit Aristoteles ex his, quæ ibidem attexit, manifestò constat. τὴν δὲ βασιλείαν ἀναγκαῖον ἢ τοὔνομα μόνον ἔχειν οὐκ οὖσαν, ἢ διὰ πολλὴν ὑπεροχὴν εἶναι τὴν τοῦ βασιλεύοντος. *Necessarium est, Regnum aut, re ipsa cum nihil sit, nomen tantum habere, aut quatenus multum præcellit is, qui regnat, existere.* Cuiusmodi verò solet esse Regnũ apud homines, de corruptione, labeq; ip-
sius

ſius ita eſt differendum, vt ſi amiſſio ſpectanda ſit vniuerſæ formę, illius nimirum τάξεως, *ordinationis* qua ciuilis adminiſtratio tota continetur, longè grauior futura ſit confuſio omnium rerum in quauis Republica vitiata, quàm in vllo regno, propterea quod inclinabunt omnia εἰς τὴν ἀναρχίαν *principatus vacuitatem*. Sin autem amiſſio tantùm illius proprię formæ, qua ſingulæ ſpecies inſignitæ, ac diſtinctæ ſunt; multò quidem facilius continget, ac ſępius, vt degeneret regnum in tyrannidem, quàm in Oligarchiam Ariſtocratia; qua de re pluribus à nobis diſputatum fuit. Sed quoniam ratio ciuilis adminiſtrationis, quamuis deprauata, & corrupta, conſtat tamen adhuc; idcircò meritò cenſetur minùs grauis ea labes, quā quę omninò confundit, ac perdit vniuerſum ordinem, tametſi multò difficilius

lius hoc sit euenturum, nec nisi longissimi temporis decursu. Sed inter ipsas Respublicas id plurimum interest, quòd in Democratia manat latiùs, atq; ad plures pertinet vis, & contagio vitij, malorumq; omnium; in Aristocratia verò multo atrocius grassatur. Siquidem populi ardor omnis citò deferuescit, vbi præsertim duces nulli sunt locupletes, ac nobiles. Qui verò pollent opibus, atq; auctoritate, diu, multumq; soliti sunt alere conceptum furorem, & exercere intolerabiliùs cũcta pessundando. Quo fit, vt huius quidem labes, *Intensiuè*, illius autem *Extensiuè* deterior appareat. Nam retinere iuuat compendij causa vocabula in scholis vsu iampridem recepta. Vtraq; certè id conatur, atq; eò sensim tendit, vt administrationis ciuilis labefactet vim, quod malum est longe grauius, quam tyrannis vlla.

Ve-

Veruntamen hoc omne periculum multò longius abeſt, & antequam peragatur facinus, immò verò inchoetur, cum plurimi, tum maximi ſemper opus habet, & operis, & tẽporis, & conatus. At Regnum quàm facillimè in tyrannidem labitur; quippe loco ſitę res eius admodum pręcipiti: quò in genere concedit plurimum Ariſtocratiæ. Non me fugit, Polybium auctorem grauiſſimum, & longo rerum vſu, prudentiaq́; eximia, & liberali omni peritia, atq; diſciplina, ſimplices omnes formas, & non vnum regnum, eodẽ nomine pariter improbaſſe, quod ſint obnoxię facili vitio, ac deprauationi. Laudatur enim Lycurgus ab eo quàm qui maximè in Spartanorum Repub. conſtituenda lib. VI. συλλογισάμενος, ὅτι πᾶν εἶδος πολιτείας ἁπλοῦν, καὶ κατὰ μίαν συνεστηκὼς δύναμιν, ἐπισφαλὲς γίγνεται διὰ

τὸ ταχέως εἰς τὴν οἰκείαν, καὶ φύσει παρεπομένην ἐκτρέπεσθαι κακίαν. Quæ in Latinum conuertere, atque interpretari, non est, quod ego, aut quisquam speret accuratiùs, quàm recens ab Isaaco Causabono est factum, viro ad omne scriptorum genus & Latinè, & Græcè, in primisq; ad antiquitatem vniuersam, & abstrusissima queq; illustranda, nec nõ eruenda, proindeque ad laudem, & ad gloriam immortalem nato. Eius ergo interpretatione libẽtissime vtar. *Statuerat*, inquit, *apud se, quam libet Reipublicæ formam simplicem, & vno genere constantem periculosam esse, quia facilè ad proprium sibi vitium, quod ipsum natura comitatur, deflectit*. Hac ergo ratione adductus idẽ legislator. *οὐχ ἁπλῆν οὐδὲ μονοειδῆ συνεστήσατο τὴν πολιτείαν, ἀλλὰ πάσας ὁμοῦ συνήθροιζε τὰς ἀρετὰς, καὶ τὰς ἰδιότητας τῶν ἀρίστων πολιτευμάτων.*

Non

Non ſimplicem, neq; vniformem Rempublicam constituit, ſed optimarũ quarumque Rerumpublicarum virtutes omnes, ac proprietates in vnum copulauit. Atque hoc ipſo Lycurgi exemplo Polybius vſus de optima forma gubernationis eam ſentẽtiã tulerat. *δῆλον γὰρ, ὡς ἀρίστην μὲν ἡγητέον πολιτείαν τὴν ἐκ πάντων τῶν προειρημένων ἰδιωμάτων συνεστῶσαν. Eam Rempublicã cenſeri debere optimam liquidò conſtat, quæ ex omnibus illis, quas diximus, formis ſit compoſita.* De ſimplicibus autem formis ſuperiùs meminerat, quas vtiliùs, ac meliùs cenſet vnà permiſceri. Quę doctrina conſentanea eſt Ariſtotelicę. Nam Polit. II. ita ſcriptum eſt; *ἡ ἐκ πλειόνων συγκειμένη πολιτεία βελτίων. Quæ conflata Reſpublica ex pluribus, ea melior eſt.* Sic etiam D. Thomas & ſincera doctrina, & ſanctitate inſigni auctor celeberrimus prima II. quęſt.

queſt. C V. art. I. optimam tradit Politiam eam exiſtimandam, *quæ probè commiſta ſit, atq; temperata ex Regno, Ariſtocratia, & Democratia*; cuiuſmodi cenſet fuiſſe Hebræorum Rempublicam, antequam Saul primus Rex conſtitutus eſſet. Licet autem ſimplicium formarum inter ſe contentio non eadem planè futura videatur, quæ cum multiplici regimine fit ipſarum collatio: neq; verò hoc in pręſentia quęrimus, ſed illud: nihilominus ex hoc animaduertere, & colligere licet, quanta ſit Rerumpublicarum excellentia, & dignitas, quę propriam, atq; inſitam vim perpetuò retineant, ſiue ſimplex ipſarum forma, & vnius modi exiſtat, ſiue cum regno coniuncta, atq; temperata. Hac enim temperatione tantum abeſt; vt aliqua diminutio vel exigua fiat de firmitate, atq; robore illarum naturæ, vt acceſſio-
nes

nes magis afferantur non leues, ipſaq; ingenita vis multò ſe acriùs incitet, ac non modo regni omnē vim frangat, & debilitet, ſed immutet omninò, atq; in ſe conuertat. Nam vbi ſociatur regnum Reipublicæ, neq; ex arbitrio ſuo Rex cuncta moderatur, ſed ex pręſcripto legū, quas tueri debet, etſi obtinet conſuetudo, vt regnum dicatur, reuera tamen nō Regnū, ſed Reſpublica exiſtit: atq; hoc manifeſtiſſimè Ariſtot. tradit. ὁ μὲν γὰρ κατὰ νόμον λεγόμενος βασιλεὺς οὐκ ἔστιν εἶδος, καθάπερ εἴπομεν, βασιλείας. ἐν πάσαις γὰρ ὑπάρχειν ἐνδέχεται στρατηγίαν ἀΐδιον, οἷον ἐν δημοκρατίᾳ, καὶ ἀριστοκρατίᾳ, καὶ πολλοὶ ποιοῦσιν ἕνα κύριον τῆς διοικήσεως. *Nam qui ex lege Rex dicitur, non eſt regni ſpecies; vt diximus. Nam in cūctis Rebuſpublicis vſuuenit, vt ſit rerum bellicarum imperium perpetuum, vt in Democratia, & Ariſtocratia; & multi*

multi creant vnum, penes quem summa administratio. Cum autem genus illud regni, siue Monarchiç, quod appellatur ibidem παμβασιλεία *plenũ regnum* ea ratione Polybio, nec non D. Thomę, quia simplex est, atque vniusmodi, non satis probetur, hoc est, nulla cum Republica iunctum societate; tùm verò ab Aristotele deprimitur hoc præcipuè argumento, quòd ibi Deus videatur, vbi lex imperet, at quibus homo dominetur, ijs bellua præesse. Qui verò collationem hanc hominis cum lege, vt minùs aptam, & legitimam, & reprehendunt, & damnant, propterea quòd hæc, inquiunt, silet, ille verò loquitur; hæc per se nihil valet aut prę stare, aut agere, ille munera cuncta sustinet, atq; impigrè obit; huius deniq; nulla vis est, nisi prę sto adsit, qui ferat eidem opem, atq; adijciat robur: hæc, & eiusmodi quicũq;

Ari-

Aristoteli obijciunt, eius mentem, atq; sententiam minimè assequuntur, immò, vt est in adagio vteri; tota aberrant via. Nam propterea legem Philosophus cum homine contulit, quia legi videntur magis parere, quàm homini, qui parent ex decreto legum res administranti. Si enim princeps, est verè custos, & minister legis, vt est Polit.lib.III.cuius mandata debet exequi, ac peragere; totam verò efficiendi vim primò illi tribuendam, à quo motionis est principium, iure censent Philosophi. Nimis autem absurdum, atq; stultum foret, legi tantùm ab homine seiunctæ committere ciuitatem regendam velle; neque id vel somniauit vnquam Aristoteles; sed vt ostendimus, propositis duabus formis regni, quarum altera suum Regem habeat legibus solutum, & ex arbitrio suo res omnes gerentem, al-

tera legibus obſtrictum, vt ſit in Republica; dum probat ex præſcriptione legum multò melius eſſe, quàm ex hominis arbitrio pendere, atq; regi, ſententiam ſuam de optimo genere principatus tàm manifeſtè profectò enunciat, ac prodit, vt nullus amplius ambigendi relinquatur locus.

Cuiuſmodi rerum ſtatus apud Hebræos fuerit, antequam Saul primus Rex eligeretur, allatis auctorum varijs in medium ſententijs, vbertim, & accuratè diſputatur. Opiniones duæ præcipuè examinantur; altera Caietani; altera Toſtati. D. Thomę ſententia, & Sigonij probatur. Sacrarum litterarum teſtimonio ſuperiore proximo capite tradita confirmantur.

CAPVT QVINTVM.

MVltis egregijs rationibus atq; teſtimonijs, in Rebuspubli-

cis iustitiam maxime vigere, verissimumque fore illud Axioma; *Multò facilius unũ deprauari, quàm plures*; euicisse nos hactenus persuasum habeo. Sed licet in hanc sententiam multa allata fuerint, & tantum non res ipsa oculis subiecta; cum tamen auctoritas diuina sanxerit id ipsum, cui non habere fidem nefas, repugnare est amentia, sciens, prudensq; prætermittere hoc nullatenus debeo. Haud me præterit, alijs alia sentientibus, quæ sumenda sunt testimonia ex diuinis litteris in discrepantes sententias ab interpretibus trahi. Mihi quantum ad stabiliendum illud satis erit, de quo proximo capite disceptatum fuit, tantum ex eorum fontibus sufficiat haurire. Vt autem rem, quæ est in manu, commodius aperiam, operæ pretium fuerit, paulò altiùs repetere, & de Repub. Hebreorum nonnulla edisserere. Tametsi

enim ad præsens institutum nostrũ, cuiusmodi fuerit priscum gentis illius regimen cognoscere, non ita necessarium esse arbitror, vt alioqui nos omnes probationes deficiant, quibus propositæ rei fidẽ faciamus; hæc tamen eadem exploratior, ac testatior erit, quo plura vel auctarij, vel cumuli loco ad eam illustrandam, corroborandamq; accessura sunt. Priusquam insanirent Hebrei Regis desiderio, inter omnes auctores conuenit, & constat, ita Rempublicam eo tempore constitutam fuisse, ut qui præesset eidem regendæ, ac tuendæ, ij nullam dominationem haberent in populo. Nam sacrarum litterarum interpretes duo præcipuè notant, quibus à Domino Iudex distinguebatur: Alterum, quod ille arbitratu suo moderari omnia, huic à legum præscripto discedere nullo pacto licebat: Alterum, quod Domi-

no ſuccedant, aut filij, aut nepotes, aut qui propinquitate maxima ſunt cum eo coniuncti; Iudici verò neq; filij, neq; conſanguinei, ſed alij omnes & quidem vt plurimum ex diuerſa tribu. Tria verò genera Iudicum explicant, quę fuerint. Vnum eorum, qui de cauſis cognoſcerēt, ac ſententiam ferrent. Alterum, quod creare Deus ad ea ſolitus eſſet, vt ab hoſtibus liberaret populum, atq; vēdicaret, auctoritate quoq; ſua quietem tueretur, & contineret vniuerſos in fide, atq; obſequio in Deum. Poſtremum genus eorum, qui ſic vocarentur, quòd populus frequens aſſiduè conueniret eos, vt moris eſt Hębræorum loqui, *Iudicij cauſſa*, hoc eſt inquirendæ, cognoſcendæq; ſtudio veritatis; quippe quibus arcana multa patefierent a Deo. Hoc autem in numero Deboram fatidicam ponunt, & quot quot conſulebā

tur extra ordinem grauibus de rebus. In ſecundo Præſides Reipublicę, atq; in bello Duces, quorum geſta continet is liber, cui nomen dederunt. In primo cum minores, tùm maiores iudices. Minores vocant, qui ſingulis ciuitatibus; Maiores, qui pariter omnibus ius dicebant; ſed aut ex prouocatione, aut ex ampliatione, cum Iudices minores rem non expedirent. Fuit hic Senatus celeberrimus ſeptuaginta virum, poſterioribus temporibus Sanedrim vocatus à Græca voce συνέδριον *concilium*, ab Hebræis corrupta. Muneris omnium Iudicum accurata deſcriptio Deut. XVII. continetur: ac ſuperiori quidem capite Iudicum minorum; Num. autem XI. inſtitutio, & creatio maiorum. Atq; hoc fuit Hebręorum regimen, hic ſtatus diuino monitu, atq; iuſſu à Moſe ordinatus, antequam eius pertęſi expe-

terent

ferent Regem. Vtrum verò ſtatus eius Reipublicę eiuſmodi fuerit, vt Reſpublica verè foret appellanda, nempe vel Ariſtocratia, vel Democratia, an potius Regnum quoddam extiterit, ſiue Monarchia, ancipites admodum fuerunt hac de re ſententiæ. Barclaius quidem nutat, neque ſibi conſtat. Lib. II. tradit eum ſtatū Monarchiæ fuiſſe, in quo Deus eſſet ſummus Rex, homo vero Prorex; lib. IV. cap. VI. tempus dominatum regium antecedens ad populare imperium manifeſtò refert. Ait enim *à populo illo ſui potente res ferè omnes eo tempore geri conſueuiſſe communibus conſilÿs, atq; ſuffragÿs ſine Duce, vel Principe*. Carolus autem Sigonius vir apprime doctus, qui de Republica Hebręorum ſeptem libros ſcripſit, eoſdemq; Pont. Max. nuncupauit, vbi de forma Reipublicę Iſraelitarū ex profeſſo agit; quod caput

est ordine V. lib. I. his planè verbis inchoat, quæ duxi exscribenda. *Sequitur, vt de forma Reipublicæ disseram, quam Deus aut superiore lege præscripsit; aut post inducti neglecta lege permisit. Ceterum cum de forma Reipublicæ quæritur, nihil aliud quæritur, nisi penes quem principatum summa rerum fuerit constituta. Hæc verò apud Hebræos primum penes optimates posita fuit, deinde penes Reges; quorũ principatuũ illum Aristocratiam; hoc Regnum Græci vocarunt. Aristocratia fuit sub Moyse, Iosue, Senioribus, & Iudicibus. Regnum sub Regibus.* Quatuor, vt patet, hic auctor tempora proponit, quibus Aristocratiam putat locum habuisse, quæ prosequitur ordine singula, & deinceps probat: Iosephi quoque grauissimum testimonium affert, qui lib. IV. Antiquitatum Mosem ipsum inducit, ad populum hac rõne verba facientem.

Ari-

Aristocratia, & vita, quæ ex ea degitur, res optima est: nec vos capiat desiderium alterius Reipublicæ, sed hanc amate, leges habentes dominas, ex ijs omnia facientes. Satis enim est, vt Deus præsit. Quod si Regis cupiditas vos incesserit, is ex eadem gente sit. Ab Iosepho, & Sigonio nõ multum abesse celeberrimum illum interpretem Diuinarum rerum, cui nomen est Alphonsus Tostatus, ea verba declarant in cap. IIX. lib. I. Regum Quæst. IV. quę recitabuntur inferiùs opportuno loco. Diuus autem Thomas Aquinas, vt superius memini, cum optimam Politiam statuisset illam, quæ constaret ex omnibus formis probè temperatis, Regno scilicet, Aristocratia, & Democratia. *Et hoc*, inquit, *fuit institutum secundum legem diuinam. Nam Moyses, & eius successores gubernabant populum, quasi singulariter omnibus prin-*

cipantes, quod est quædam species regni. Eligebantur autem septuaginta duo seniores secundum virtutem. Dicitur enim Deut. I. Tuli de vestris tribubus viros sapientes, & cōstitui eos principes: & hoc erat Aristocraticum. Sed Democraticum erat, quòd isti de omni populo eligebantur. Dicitur Exodi XIIX. Prouide de omni populo viros sapientes &c. Et etiam quod populus eos eligebat. Vnde dicitur Deut. I. Date nobis viros sapientes &c. Vnde patet, quòd optima fuit ordinatio Principum, quam lex instituit. Hęc D. Thomas de regimine veteri Hebręorum, quæ si adamussim Aristotelicam exigantur, Regnum cum Republ. mistum, atq; temperatum ad Rempublicam proprie reuocantem, nec obscurum, nec dubium potest esse, quin hic auctor cum Sigonio, & Iosepho faciat. Caietanus à duce suo sine causa discedens, in opusc. Ientac. III. de

Sacerd. primus omnium fuisse mihi videtur, qui Regni quandam speciẽ excogitarit, & quidem *temporalis* vt ipse loquitur, in qua supremum Regem ita Deum poneret, vt nullus homini alicui relinqueretur, nisi Vicarij, aut certè Proregis locus, quales extiterint omnes Duces, atq; Iudices, quicunq; rebus prȩfecti fuerint vsq; ad Samuelem. Caietani hanc sententiam libenter amplexos, & doctos, & magnos viros complures video, qui scribunt Hebræis de Rege nullo cogitare, cum Deum haberent Regem, licitum fuisse; de quo à Samuele admonitos, grauiterque reprehensos, agnouisse tandem ipsos errorem suum, quo peccata commissa omnia commularint. Quid autem fuerit, quod peccarint, & reprehensi fuerint, nihil aliud neq; apparere, neq; statui posse, nisi flagitiũ illud ingens, quod factum fuerit

à Deo Regnũ in hoẽs transferẽdo. Fidem quoq; huius rei facere opinã tur, & quæ Deus expoſtulauit cum Samuele I. Reg. cap. VIII. *Non abiecerunt te, ſed me ne regnẽ ſuper eos* : & quæ Samuel vniuerſo populo palã exprobrauit cap. XII. *Dixiſtis: Rex imperabit nobis, cum Dominus Deus veſter regnaret in vobis*. Quibus etiam, quæ Gedeon lib. Iudi. C. VIII. excuſauit, per me accedant licet. *Non dominabor veſtri, nec dominabitur in vos filius meus; ſed dominabitur Dominus*. Hæc ſunt, quibus eminentiſſimi viri perſuaſi videntur, ut non aliter regnaſſe Deum olim apud Hebręos, atq; Reges in ſubiectos populos fuerint arbitrari. In tanta Catholicorum ſcriptorum varietate illis me comitem adiungere liceat mihi obſecro, quos vero magis dicere ſimilia comperi. Quod igitur Hebręorum Politia prorſus eadem, quę opti-

optima, cùm D. Thomę, tùm alijs quoque visa fuit; id non ita exploratum, atque certum est, vt meritò reuocari nequeat in dubium, atq; controuerti. Nam si agros omnium feracissimos, atq; saluberrimos, ut habuerint Hebręi, nihil est necesse, cum tractus ille Palæstinę, quem coluerunt, & ubertate frugum, & clementia cęli, cùm terris alijs, tùm Indiæ facile concedat: quid optimum omnium regimen, ac præcellentissimum necesse habemus illi populo attribuere? cum pręsertim Mosaicę legis solemnes ritus, vnàq; iudiciorum vniuersa ratio, quà principatus ille totus nitebatur, omninò fuerit antiquata, non modò immutata. Quod autem temperatum id regimen censet extitisse, confusumq; triplici genere administrationis, cum certum sit non tollere vim ipsius Reipublicę; in hanc sententiam concede-

re minime grauabor, à qua non dissentire Sigonium, & Iosephum arbitior. Caietani verò sententię cur nolim subscribere, multæ rationes, ni fallor, satis ualidæ faciunt. Nam cognoscere ab ijs, qui eum sequuntur, aueo, qua ratione hæc sententia cohærere valeat cum ijs, quæ Iudicum libro repetuntur identidem. *In diebus illis non erat Rex in Israel, sed vnusquisque, quod sibi rectum videbatur, hoc faciebat.* Equidem quādiu præcipuus Dominus, & Rex summus adest, quamuis forte vicarius, siue prorex desit, dici verè non potest Rex nullus esse. Quid? Quod ex interpretibus alij ad ἀναρχίαν, *vacuitatem principatus*, alij ad Rempublicam præcipuè eam sententiam referunt: vtrumq; verò his auctoribus aduersatur æquè. Nam siue omni rectore destituti erant, & summa rerum penes nullum princi-

pa-

patum; siue continebantur Hebræi aliqua Republica oportet, aut Regnum Dei nonnumquam abolitum, quod tamen, credo, permittere nefas ducunt: immò affirmat Caieta. ibid. vsq; ad Saulem semper id mãsisse: aut certè contra atque censent, hoc non effecisse, vt vel de medio tolleret, & labefactaret, quæ tunc vigebat Respublica, eius propriam rationem, vel ex vna in alteram formam migrare cogeret. Et verò ita rem se habere hoc perspicuè arguit, quòd D. Thomas temporibus illis tribuit, non aliquod proprium Regnum, sed Regni speciem, quã ẽt spectandam sibi proposuit nõ ex vlla re alia, quã ex persona Mosis, atq; successorum: cum tamen expeditum foret, immò necessarium, si quidem idem sensisset de hoc Dei Regno, quod isti postea opinati, cõmentiq; sunt; à Deo regni rationem venari, atq; sumere.

Sed

Sed argumenta proposita iam excutiamus, quæ cum omnia sint leuia, infirmaq; admodum, tùm verò quod primo loco, vt præcipuum affert. Præterquam enim quòd tanquã notum, & probatum assumit, quod accuratè probandum erat, atq; enucleãdum; ita rationem abiecisse Hebręorum populum, vt ęxtorquere constituerit gubernacula Deo, vt committeret eadem nescio cui homunculo, quo nihil fingi potest amentius, nihil sceleratius: quàm porro illud ridiculum, atq; ineptum est, à genere vniuerso ad formam sic argumentari. *Populus ille reprehensus est, atq; peccauit: ergo reus maiestatis factus est, quatenus à gubernaculis Regem suum amouit.* Quasi verò alio nullo nomine reprehendi, nullaq; alia ratione peccare potuerint. Afferre quidem non paucas interpretes solent, sed satis est in præsens attinge-

re duas: Alteram, quod auctoritatem diuinam nihili duxerunt, administrationis ea forma minimè contēti, quæ fuerat à Deo commendata, atq; adeò instituta: hanc verò fuisse Aristocratiam persuasum habemus. Alteram, quod multò plus, & fiduciæ, & spei collocarunt in Rege, quā in Dei patrocinio, firmoq; præsidio: atq; hoc est, quod vrget admodum Samuel vsus ijs verbis Reg. I. C. XII. *Et misit Dominus Ierobaal, Badan, & Sanson, & Barach, & Iephthe, & Samuel, & eruit vos de manu inimicorum vestrorum per circuitum, & habitastis confidenter. Videntes autem, quod Naas Rex filiorum Ammon venisset aduersum vos, dixistis mihi; Nequaquam; Sed Rex imperabit nobis, cum Dominus Deus vester regnaret in vobis.* Hæc autem eo, quo dixi, modo esse accipienda, ex ijs, quæ scribit Tostatus; facilè perci-

pitur, in cap. hoc XII. quæ. XI. *Volebāt*, inquit, *Regem ad hoc, quod liberaret eos à periculis bellorum; quasi intelligentes, quod aliàs non possent liberari, nisi Regem haberēt. Sic patet supra cap. VIII. scilicet. Rex enim erit super nos, & erimus nos quoq; sicut omnes gentes, & iudicabit nos Rex noster, et egredietur ante nos, & pugnabit bella nostra pro nobis. quod magis patet infra in littera, scilicet. Videntes, quòd Naas Rex Ammon veniret aduersum vos, dixistis; Nequaquam, sed Rex imperabit nobis. Quasi dicat: non poterimus habere alium principatum, per quem eruamur ab hostibus, nisi per Regalem.* Sed adest multò locupletior testis, quàm Tostatus. Is est D. Hieronymus in Oseam Prophetam cap. XIII. quo loco iuxta editionem LXX. interpretum explicat hæc verba. *Vbi est Rex tuus iste? & saluum se faciat in cunctis vrbibus tuis: indi-*

cet te, de quo dixisti. Da mihi Regem, & Principem; & dedi tibi Regem in ira mea, & tabui in furore meo. Hæc igitur D. Hieronymus interpretans ait. *Vbi est Rex tuus? de quo dicebas ad Samuel; Constitue super nos Regem, vt iudicet nos, sicut & gentes habent ceteræ: cumq; ille contradiceret, respondebatur. Nequaquam; sed Rex erit nobis, & erimus etiam nos, sicut & gẽtes omnes, & iudicabit nos Rex noster, & egredietur ante nos, & pugnabit pro nobis. De quo tibi ergo promiseras, quòd tua bella bellaret, nunc in necessitate subueniat, & vniuersas vrbes tuas liberet de seruitute.* Quid ergo peccarint Hebræi, manifestum est. Quod spectat ad expostulationem illam Dei cum Samuele; *Non abiecerunt te, sed me, ne regnem super eos*: nihil est opus interpretationem comminisci nouã; multiplices enim non desunt apud insignes auctores.

Vnam D. Gregorij iam superius attuli; alteram quoq; afferre hoc loco minime grauabor, quæ rem, vt habet vetus adagium, acu propè tangit. *Notandum*, inquit, *quia abiectionem prophetæ Dominus suam facit. Non enim simpliciter dicit; Abiecerunt me, ne regnem super eos: sed, non te abiecerunt, sed me, ne regnē super eos; vt profectò ostendat, quia in persona electi præsulis ipse suis subiectis præeminet, & cum ad spiritale culmen delectorum carnalis rector assumitur, ipse abijci videtur, cuius præcepta dissipantur. Ergò quàm reuerendi sint optimi pastores sanctæ Ecclesiæ, liquet. Ecce enim dum fideliter Deo seruiunt, tanto ei amoris vinculo coniunguntur, vt quidquid eis ingeritur, diuinæ iniuriæ adscribatur. Vnde & in Euangelio primis Ecclesiæ pastoribus dicit. Qui vos spernit, me spernit.* Addam postremo egregiam Caroli Sigonij,

sed ex Aristotele sumptam interpretationem. *Significauit apertè*, inquit, *Iudicibus rerum summam ex lege habentibus regnaße Deum super Hebræos, quia lex dominata eßet; imperio verò ad regem gentium more translato, Deum non regnaturum, cum non penes legem, sed penes voluntatem vnius hominis summa rerum eßet futura. Probè. Etenim, vt optimè dixit Aristoteles in Politicis; Qui legem vult imperare, Deum vult imperare; Qui Regem, id est hominem, belluam*: quod *non semper ratione, sed plerunque cupiditate ducatur. Hoc autem arbitrarium regis imperium expreßit Deus, cum addidit: Filios, & filias, & prædia, & seruos vobis auferet, &c.* Cur igitur Deus abiectum se conquestus fuerit, & cur in Hebręorum populo regnaße dicatur, cum rationes non paucas vtraq; res habeat, tùm posterior hęc vnam satis euidentem.

 Nam

Nam præcipuæ sunt Regis partes hostem propulsare, tutosq; à vi, & ab iniuria subiectos præstare: quæ munera cum obire Deus consuesset, & non modo præcipuam curam illius populi, sed etiam tutelam quandam propriam suscepisset, propterea fuit hoc regis nomine insignitus; à quo certè Gedeon censuit olim abstinendum, qua reuerentia, & pietate in Deum summa fuit, delatamq; sibi dominationem vltrò recusauit; veritus, ne sibi decus illius victorię hoc pacto arrogaret, quæ non suo robore parta esset, neq; suis auspicijs, sed ipso Deo iubente, ducente, ac iuuante. Hac religione adductus sustinere noluit, vt Dominus, atque Rex ipse appellaretur, quod tamen accedente consensu Dei, cui ius erat ad hoc eligere, & vocare, citra vllius noxæ conscientiam permittere poterat, quemadmodum alij postea mul-

ti permiserunt haud minori pietate insignes, & moderatione: qui sanè & Domini, & Reges cum audirent, & essent, nihil ereptum se ire Deo vmquam crediderunt, cui iuris, quod priùs haberet, nil deperijsset, cunctaq; integra mansissent, immò prorsus eadem. Illam verò præcipuam curam, ac tutelam, cuius causa potissimum Rex appellabatur, tantum absuit, vt deponendam Deus existimaret, vbi Reges optati sunt, atq; constituti, vt multò propensiùs adhuc, & multò studiosiùs officium Regis præstaret hostes profligando: quod etiam per Samuelem professus est illicò, vt animos ab ea castigatione afflictos recrearet, quę acerbitatis quàm plurimum visa fuerat habere. *Non*, inquit, Regum I. cap. XII. *derelinquet Dominus populum suum propter nomen suum magnum, quia iurauit Dominus facere vos sibi populum*,

Sed multò deinde sanctiùs hæc Dauidi recepit, cum Nathan prophetã misit, vt ea nunciaret Regum II. cap. VII. *Et ponam locum populo meo Israel, & plantabo eum, & habitabo cum eo, & non turbabitur amplius, nec addent filij iniquitatis, vt affligant eum, sicut prius ex die, qua constitui Iudices super populum meum Israel.* Quid ergò Caietanum ad scribendũ impulerit; *Populum Israel paruo tempore dignitatem Regni Dei retinuisse; scilicet à Moyse vsq; ad Samuelem; postea autem in Regnum hominis degenerando transiјsse*; hoc profectò ignoro. Cõstat enim euidẽtissimè ex ijs, quæ sunt dicta, imperium, & principatum illum, quem gerebat Deus, nullo tempore, neq; amisisse nec deposuisse; qui etiam Regis optionem ideo sibi Deut. cap. XVII. reseruauit; & quemadmodum consueuerat Iudices deligere, sic & Saulem, & Dauidem

uidem consecrauit Reges, vt æque hos atq; illos significaret, & obnoxios, & subiectos habere se perpetuò velle. Cumq; in bello suscipiendo semel tantum, aut iterum, quo tempore presidebant Iudices Reipublicę, oraculum diuinum consultum legamus cap. I. & XX. (res enim quãuis arduę inciderent, admodumque ambiguę, cùm ex præscriptione legis, si qua erat, tùm ex arbitrio illorum definiebantur, quibus erant permissę, ita Deo iubente) frequentissima tamen in libris Regũ occurrunt eius rei exempla, maximèque insignia. Nam Saul, & cum sequeretur Philisteos fugientes Reg. I. cap. XIV. & conserturus extremum prelium, in quo perijt cap. XXIIX. Dauid autem consuluisse Deum legitur, & inuasurus cum copijs suis Amalechitas cap. XXX. & Regnum initurus à cęde Saul Reg. II. cap. II. & cum

Philistæos aggredi statueret cap. V. & cum in magna difficultate annonę versaretur cap. XXI. quinimmò solitum id vulgò fieri ex eò potest colligi, quòd Achitopheli prębetur testimonium eiusmodi cap. XVI. *Consilium Achitophel in diebus illis, quasi si quis consuleret Dominum.* Neq; igitur oraculi diuini consulendi mos, neq; quod Iudices Deus diligeret, & Reges non item, neq; cura illa, quam gerebat, seu tutela pręcipua; quæcunq; tandem rationes afferri possunt, cur Deus in Hebræorum natione regnaret, nullę sunt, quibus aliquid horũ persuadeatur, aut non ita reliquisse locum Reipublicæ, quemadmodum regiæ potestati diuinum regimen; aut regnare Deum tunc primùm desijsse, cum Saul primus Rex fuit inauguratus; aut nefarium illud consilium populum cepisse, vt depelleret, atq; extruderet à re-

gno

gnô suo Deum. Hæc fortasse quia vidit Alphonsus Tostatus acerrimo cùm ingenio, tùm iudicio vir, ea Regis optione non id factũ ait, ne Deus esset amplius Rex, & supremus dominus, quod fieri nullo modo potuisse affirmat, sed ne proximus ita Rex esset, prout antea fuisset; interiectis nempe, medijsq; Regibus. Quærenti verò de Mose, Iosue, cunctisq; iudicibus, alterutrum profectò esse cõcedendum, aut nullos intercessisse, quod est omnino falsum, aut Regem proximum, ne tùm quidem Deum extitisse: respondet; illos vicariorũ tantùm loco; non autem summorũ Principum censeri oportere: ceterum per hos fieri, non item per illos, ne sit Deus amplius, quod aiunt, Rex immediatus. Enimuerò quis ea ratione summus esse potest, vt nullum habeat superiorem, ne Deum quidẽ ipsum? Non ne Reges quoq; ipsi sunt

sunt vicarij Dei, καὶ διάκονοι, καὶ λειτουργοί. *Et serui & ministri*: quod ait D. Paulus ad Rom. cap. XIII. Nam quod ex eis, qui vicariam gerunt potestatem, alij sunt alijs maiores auctoritate, cum pariter indidem pendeant, vnde ius omne manat, nullum discrimen relinquitur ex hac parte, maiorisq; ac minoris vicarij eadem planè ratio, vt pariter Deus in omnibus, & per omnes regnet. Agnouit hanc rem tandem ipse quoq; auctor cogente veritate, cuius vis est maxima. Nam in cap. VIII. q. XIV. cum aperire vellet, atq; exponere causas, quibus Regis optionē Deus sibi reseruasset, hæc ita scripta reliquit, quæ rem totam continēt, *Cum*, inquit, *non permisit eos Regem constituere, sed quòd illum solum Regem acciperent, quem ipse eis daret, ostendebat eos sibi omnino subditos, & magis eum illis præsidere quàm præsideret is,*

quem

quem in Regem à Deo acceperant. Secundò ad ostendendum potestatem super Regem. Nam si populus sibi ipsi constitueret Regem, videretur Rex supremam potestatem habere, eò quòd non respiceret alium dominum superiorem: cum verò non poterat esse Rex, nisi is, quem Deus in Regem daret, non videbatur ille Rex, sed potius vicarius Regis; quasi Deus esset immediatus Rex illius populi, & qui constitueretur in Regem, gereret vices illius, sicut vicarius; ideò sic fuit conueniens. Habemus igitur ex ijs verbis, quod probare intendimus, iuxta Reges Hebręorũ, ac Iudices Dei vicarios fuisse, proindeq; Deum per Reges non exclusum fuisse ab eo, quem vocant principatum immediatum. Nam quod idem Tostatus non semel repetit in caput VIII. quæst. VII. in caput XII. quę. XIV. *Tantum honoris ademptum ipsi Deo,*

quan-

quantum accederet homini, qui Rex crearetur: quid hac de re sentiendū, alij certè viderint. Facilè mihi sanè persuaderi patiar, nec de iure, nec de honore Deo quidquam decessisse. Si quid tamen ad honorem diuinum interesse statuitur, quod nullus princeps summus interponi debeat inter populum, qui regatur, nec non Deum ipsum, existimo cum Monarchiæ hoc parum honorificū, tùm vniuersis Rebuspub. longe amplissimum, quarum ad gubernacula qualescunq; sedent, per eos vel duces, vel iudices nihil obstet, quominus valeat Deus quā proximus esse, hoc est, quemadmodū dicūt, Rex immediatus. Cum aūt regimē diuinū hoc habere constet, ut ornet, augeat, atque omnibus numeris absoluat, non verò euertat, imminuat, atq; labefaciat eam Politici principatus vim, ad quam sese adiungit; nihil er-

go detrimẽti passura est Respublica, si quam Deus eo modo regendã suscipere instituat, quomodo suscepit olim Hebręorum gentem, in qua maiestas diuina cum dominaretur, nihilominus relictum locũ ipsi quoq; Reipublicæ & nos permultis rationibus supra demonstrauimus, & etiã Tostatus ipse non grauatè fatetur. Si quidem IV. quæst. in cap. VIII. hanc vti præcipuam causam inter omnes memorat, quæ impulerit Israelitas ad Regem petendum; *Causa*, inquit, *erat, quia videbatur eis indecorum esse, quod cum ipsi essent magnus populus, non haberent Regem. Putabant enim magnum esse honorem populi, & quòd priuarentur hoc honore, erat eis graue. E contrario tamen fit, quoniam honorabilior est populus, qui non habet Regem, dum tamen posit aliàs benè regi per quemcumq; politicũ principatum, quàm si regem habeat:*

nam

nam habentes regem quoddam genus magnæ subiection s tolerant; Israelitæ tamen non attendebat ad hæc. Ex his autem palam est, atq; apparet liquidò, cum in præcipua controuersia de optimo principatu, tùm in presenti disceptatione de Hebreorum Republica hunc auctorem neutiquam dissentire à nobis, quamuis fortè prima facie secus videatur: tempora quoq; Mosis, atque Iosue ab ijs, quæ successerunt, ætatibus ita eum non secernere, sicuti neq; Carolus Sigonius, neq; D. Thomas; tametsi quidam hoc ipsum in discrimen vocarunt, propterea quòd potestas eorum vtriusq; adeò magna pre ceteris videatur fuisse, ut accederet quàm proximè ad dominationem. Et quidem non nihil Sigonius videtur mutasse. qui cap. I. li. VII. mortuo Iosue tradit *populum Republica à Deo tradita vti cæpisse.* Vtcumque fuerit

rit (id enim parui, aut nihil refert)
res eodem propemodum recidit, vti
planè constat. Satis est enim prius
Rempublicam quam Regnum, diui
no iussu ordrnatam, & constitutam
fuisse; & Regni quidem, si vellent,
Hebræis potestatem factam, sed præ
latam Rempublicam tanquam po-
tiorem; quod Deut. Cap. X V I I.
apertè declarat. Quia verò ab Ægy-
ptiaca seruitute vendicandus popu-
lus, atque in ea loca necessariò dedu
cendus erat, in quibus domicilia col
locaret, atque sedes suas, ad hæc præ
standa, quæ magna, nec non ardua
erant, & princeps, & dux aliquis il-
lis opus erat. Nam Deus in rebus
agendis quanquam vt consilio, sic
etiam adminiculo vllo numquam
eget, cum solus omnia peragere, ac
perficere valeat; hominum tamen
statuit vti opera, & industria, quibus
agendi facultatem tribuit, atque vi-

res adijcit, vt ordine suo res procedant, ac suum cursum teneant. Moses itaq; vocatus ad ea munera fuerat, quæ quoniam obita morte obire non potuit, excepta sunt à Iosue fortissimo Duce, qui ferocissimas quasque gentes vel accidit, vel domuit, earumque agros, & vrbes in singulas tribus, atque adeò in singulas familias, atque domos tribuit. His autem omnibus confectis cum de vita migrasset, neque ducis opera videretur amplius necessaria, nullus eidem suffectus traditur à Deo, qui vellet, vt ea gens libera, suique iuris effecta per se Rempublicam gereret, atque administraret, vt homines decet ingenuos, magno, excelsoq; animo, & natos ad imperandũ, non ad seruiendum. Quapropter singulæ tribus commemorantur Cap.I libri Iudicum rem per se gessisse, tribu Iudæ auspicante, hostesq; inuadente,

dente, quæ postea sibi conterminã Simeonis tribum in societatem adsciuit belli, atque victoriæ, quarum exemplo ceteræ incitatę, vt propagarent suos fines, omnes arma sumpserunt. Et Resp. quidem illa tamdiu floruit, quamdiu pietatem, & iustitiam coluit ille populus: collapsa verò sępenumero propter impietatē, & restituta in integrum Dei benignitate, alijs, atq; alijs iudicibus constitutis, qui principem in ea locum obtinerēt, multas vicissitudines, atque ęrumnas passa cum execranda flagitia perpetrare aliquando certè intermitteret, sed mox acrius pergeret, ad Samuelem deniq; peruenit, à quo fuit extortus Rex assiduo conuicio. Enim vero Hebræis Regem dari sibi cupientibus, neq; verò efflagitandi finem vmquam facientibus; sacræ litteræ docent, ac testantur; Deum non modò improbasse, palàmque

damnasse, sed etiam omnino execratum id peruersum consilium; & conatum, tametsi frustra, per Samuelem à proposita sententia illos reuocare, percēsendo, atq; enumerando incommoda plurima, quibus obnoxij futuri essent sub imperio Regis libr. Regum I. cap. VIII. *Filios*, inquit, *vestros tollet, & ponet in curribus suis, facietq́ sibi equites, & praecursores quadrigarum suarum, & aratores agrorum suorum, & messores segetum, & fabros armorum, & curruum suorum. Filias quoque vestras faciet sibi vnguentarias, & focarias, & panificas. Agros quoque vestros, & vineas, & olivueta optima tollet, & dabit seruis suis.* Hæc igitur, & alia multa prosecutus est Samuel, vt admoneret Hebræos, ita Deo iubente; vbi res omnes vertūtur in arbitrio vnius, nihil esse facilius, nihil vsitatius, quā per iniuriam, & scelus hæc impune

patrentur, quæ grauissima, & acerbissima cunctis accidant: ea verò in benè instituta Rep. vix timenda fore, in qua certè non pauca, neque parua sint, quæ singulos à nefario facinore absterrere possunt, multorumq; adeò ciuium mentes, atq; voluntates non ita facilè simul impellantur ad exercēdam tyrannidem in subiectos populos. Viderent ergo cũ iusmodi rem appeterent, maturèq; prospicerēt, ne tam præposterum consilium imprudenter inirent, quo salutaribus noxia, non tuta securis, deterioraq; præstantioribus anteponerē tur. Huc enim spectat enumeratio illa tot malorum, quæ populum sub regibus passurum vaticinatur propheta. Atque ita intellexerunt eum locum, & explicauerunt egregij rerum diuinarum interpretes, doctoresq; non pauci, quorum testimonia aliquot adducere, ne videar ex inge-

nio rem fingere, necessarium duco. Audiamus igitur D. Thomam Aquinatem prima secundæ Quęst. C V. art. I. argumento primo ita respondentem. *Dicendum, quod Regnum est optimum regimen populi*; qua ratione cēseat optimum regimen, iam fuit explicatum, *si non corrumpatur. Sed propter magnam potestatem, quæ Regi conceditur, de facili regimen degenerat in tyrannidem, nisi sit perfecta virtus eius, cui talis potestas conceditur. Perfecta autem virtus in paucis inuenitur; & præcipue Iudæi crudeles erant, & ad auaritiam proni, per quæ vitia maximè homines in tyrannidem decidunt: & ideo Dominus à principio eis Regem non instituit cum plena potestate, sed iudicem, & gubernatorem in eorum custodiam; sed postea Regem ad petitionem populi quasi indignatus concessit, vt patet per hoc, quod dixit ad Samuelem. Primo Regum V III. Non*

te

te abiecerunt, sed me, ne regnem super eos. Quid autem sibi velint hęc diuina verba, datus est supra copiosè differendi locus. Quod attinet ad rem præsentem, D. Thomam constat eodem planè retulisse illa, quò D. Gregorius, ut non magis expostulatio fuerit, quàm prædictio. Nã libr. IIII. Expositionum in primum Regum, his ferè verbis concludit capitulum primum. *Et illi quidem* (Israelitæ) *contra Domini voluntatem Regem petierunt: sed à Regia dignitate postea actum est, vt populus, qui eum abiecerat, idola coleret, simulacra adoraret.* Mox paucis interiectis. *Meritò igitur se abiectum Dominus in regis petitione conqueritur: meritò regiam dignitatem concedit indignatus. Tanta quidem erat iniquitas postulantium, vt cum illud peterent, per quod à Deo recederent, ex Dei iudicio permitti posset, prohiberi nõ pos-*

set. Ex ijs apparet Regum suorum vitio, multò facilius, atq; citius à Deo desciuisse, quàm sua sponte videretur facturus Hebræorum populus: atq; hoc esse, quod iam abiectũ se Deus ipse ducit. Alphonsus autẽ Tostatus scriptor peregregius, q. IX. in cap. hoc ipsum VIII. hæc litteris consignare minime fuit veritus. *Nullus principatus quantum ad hoc est magis oppressiuus subditorum, quàm regalis, siue Monarchicus, qui subitò verti potest in tyrannidem; & hoc malum illius significauit hic Deus, dissuadendo Israelitis hunc principatum, scilicet quod Rex decimaret greges eorum, & armenta &c.* Et paucis interiectis ita pergit. *Et ita dicendum, quod principatus regalis pro regnante est aliquid valdè honorabile, sed pro subditis est aliquid valde onerosum, & minus eligibile, quàm alia genera principatuum.* Cum autem hoc administratio ciui-

lis

lis integra distet à corrupta, quemad modum in politicis est sancitũ; quod illa populi ad fructum, cuius causa instituta, hæc ad commodum imperantis præcipuè refertur: ex his necessariò colligitur, Monarchiæ præstantiam adulterinum quid olere magis, quàm legitimum. Sed quæ superius commemorata sunt, atque examinata, eadem ingerere, ac repetere nihil est necesse. Nunc enim propositum est nobis demonstrare; Regnum degenerare facilè in tyrannidem, idq; auctoritate diuina comprobari: quas in res cùm D D. Thomæ, atq; Gregorij, tùm verò Alphõsi testimonium, ac sententiam sumpsi. Adiungam illis postremò Guilielmum Barclaium libr. II. qui tametsi non sentit idem de prçstantia Reipub. nihilominus hæc à Samuele dicta non semel fatetur, vt à petitione Regis deterreret populum, iuraq;

raq; regis, seu regni legem eandem appellatam, vt quid à Rege fieri possit, omnibus patesceret, cum facilè atq; expeditè, tum impunè, ac tutò; quippe qui nullam pœnam reformidet, nullum vindicem horreat. Fuit igitur παμβασιλεία *plenum regnum* eo loco descripta, in quo sunt omnia permissa quàm solutissima Regi, vt quidquid sibi libeat, id peragere valeat. Et quidem talem cum petierint Regem Israelitæ, qualem tum ceteri populi, atq; gentes haberent, apparet eos genus regni illud exoptasse, de quo Arist. ita scribit. III Po. πέμπτον δ' εἶδος βασιλείας, ὅταν ᾖ πάντων κύριος εἷς ὤν, ὥσπερ ἕκαστον ἔθνος καὶ πόλις ἑκάστη τῶν κοινῶν τεταγμένη κατὰ τὴν οἰκονομικήν. *Quintum genus Regni est, cum in vnius potestate sunt omnia, veluti gens, & ciuitas vnaquæq; in qua communes res ordinatæ sunt ad exemplum, & rationem il-*

lam,

lam, qua familia regitur. Eiusmodi verò genus Regni, siue Monarchię ab Aristotele quondam meritò improbatum, qua in re cum diuina historia perbellè consentit, quamuis antiquis temporibus fuerit peruulgatum, cunctisq; gentibus, & nationibus vbique commune; nunc tamen barbaris tantum populis relictum, in Christiana Rep. vix, aut ne vix quidem, nisi ratio me fallit, locum habet. Sunt enim Christiani Principes legibus adstricti, in quas conceptis verbis etiam multi iurant: quo fit, vt regimen eorum plus quidem, minusue pro diuersis locorum, & hominum ingenijs, sed tamen aliquid habeat ex ratione Reip. cum regia potestate cõiunctum, & consociatũ. His igitur cùm de prisca Hebræorũ Republica, tùm de labe, atque vitio, quo regna facilè laborant, vel ex auctoritate sacrarum litterarum, vel ex

auctorum grauissimorum testimonio dictis; illud quoq; monendum, atq; vrgendum superest, ita illum ad proxima gradum per nos primò iactum, vt eo conuulso, quod tamẽ ægiè fieri poterit; verumtamen si quo modo fiat, vt labefactetur, neutiquam certè futurum existimemus, vt cetera tanquam superinducta è vestigio corruant. Faciamus enim Caietani veram fore sententiam, vt à Dei regno & gubernatione discedere Hebręi, & ad hominis vnius arbitrium se applicare voluerint; siquidem expostulationi diuinæ sua uis item constat, quemadmodum constare necessariò oportet, vtique argumenta iam dicta pariter constabunt, de propẽsissima inclinatione Monarchiæ ad vitium, futurorumq; malorum enumerationi nihil obstabit, quin sit eadem sententia subiecta; ex humanis videlicet politijs, quod

esset omnium deterrimum, Hebræos exoptasse, diuinæq; gubernationi prętulisse, ad extremum, summumq; amentię declinantes. Quamuis .n. præ cœlestibus, ac diuinis rebus neq; perfecta, neque pulcra multùm humana sunt omnia; vt à reprehensione vacui futuri non fuerint, etiam si Aristocratiam tunc expetiuissent, imperio, siue regno Dei temerè neglecto: nihilominus tàm acerbè, opinor, non fuissent increpiti: tam certè facilè tot in mala non incurrissent, quot expressa, recensitaque eo loco singulatim legimus. Quo fit, vt quā quis opinionem tueatur, & quoquo modo res administratę in ea gente fuerint, non tamen efficere, aut negare valeat, παμβασιλέιαν *plenum regnum* diuina sententia notatam, vt omnium maximè corruptioni obnoxiam, fuisse. Hoc autem nomine improbatam Aristocratiam, quid mi-

rum fuerit in facris litteris non tradi; quippe in qua vitium idem non tam facilè hærere cùm ratio multiplex fuadet, tùm res ipfa teftatur? Sed his de rebus iam fatis, vel nimis multa.

Quinque pręcipuæ conditiones optimi imperij, & aliæ quædam cum ijs connexæ, atq; implicitę exactè perpenduntur, & examinantur, & non minùs Ariftocratię, quàm Regno conuenire oftenduntur. Quæ contrà dif ferunt aduerfarij, cuncta refelluntur. Summa totius difputationis, atq; breuis Epilogus.

CAPVT SEXTVM.

EXaminemus tandem, atq; excutiamus, quas optimo folent imperio conditiones tribuere, fed ineffe Monarchiæ tantummodo, aut maxime putant. Harum prima eft ordo, quem docent cõftare poffe inter maiores, atq; minores, non inter æquales. Altera eft pax, concordia, & cõ-

iunctio

iunctio ciuium, quam vigere potissimum perhibēt in vnius imperio. Tertia, robur, opes, & potentia: potentiorem autem, robustioremque esse Monarchiam, quàm vllam Rempublicam. Quarta stabilitas imperij ex diuturnitate: regna verò quàm diutissimè statum suum retinere. Argumento fore monarchiam summam Assyriorum, quæ steterit supra mille, & ducentos annos: sed preterea id ratione quoque persuaderi. Nam eò difficilius distrahi, atq; dissolui, quò magis vnum fuerit vnũquodq;. Porrò magis vnum oportere vnum hominem esse, quàm multitudinem in vnum conspirantem. Vltima cõditio est gubernationis facilitas, quã probant his argumentis esse in Monarchia. Primò, quia facilius est inuenire vnum hominem probum, & sapientem, quàm multos. Secundò, quia publica negocia negligi solent

à singulis, tanquam aliena. Tertio, quia cum gerendi magistratus peritia comparata est, eo tempore magistratu abire oportet. Postremò, quia videtur vix fieri posse, vt à Rebuspublicis absint contentiones, & rixæ, & concertationes, quę facilè oriuntur in summa licentia cùm ex alijs prauis cupiditatibus, tùm ex ambitione. Hæ sunt quinque conditiones à summis viris propositæ; quæ omnes si Aristocratiæ minime deesse, immò plereq; poterunt à nobis ostendi in eandem magis conuenire, quàm in Monarchiam, nec obscura, nec ambigua res futura est amplius. In primis igitur ordo, siue τάξις, quæ in definienda administratione ciuili statuitur, vt genus, quomodo abesse potest ab Aristocratia, quę pręcipua censetur eiusdem forma? Certum quidem est inter pares ordinem non esse, vbi manent omninò pares, atq;

in omne tempus: Sed qui per vices imperant, atque parent, hac ratione fiunt impares, hoc est maiores, & minores; & hęc imperij communio, & vicissitudo mirificè cum natura consentit, vt superiùs probaui. Consentiet igitur & is ordo, qui manat ex ipsa. Pax deinde, coniunctio, & concordia ciuium sita est multò magis in iuris æquabilitate, & ęqua honorum distributione inter optimos quosq;, quàm si quis vnus in rebus publicis cuncta sibi vendicet, & imperia non nisi quibus ipse velit, malignèq; tribuat, ademturus etiam facilè, quandocunq; libeat; si quidem pendent res omnes ex ipsius arbitrio: cùm tamen ea, quæ conferuntur per liberos populos, & munera, & ornamenta, & honorum insignia, perpetuò manere soleant ijs rata, atque fixa, quibus collata fuerint; neque hęc ipsa tantùm, verum etiam

benemeritis omnibus de Republica singula vel promissa, vel tributa præmia. Quæ certè res quanti valeat, non est obscurum ad exterorum pariter, ac ciuium demerẽdos animos, stabiliendosq; in Reipublicæ caritate. Quid verò pacta, fœdera, iura societatis? nonne (quod apud omnes est in cõfesso) quàm sanctissimè, constantissimèq; coli possunt; tam maximè coluntur à liberis ciuitatibus? Habitura est itaque semper Aristocratia satis multa, cum domestica, tùm externa præsidia ad omnes temporũ casus, & ad rerũ discrimina iampridem comparata, atq; prompta sibi, quibus egregiè instructa, & probè munita neq; timere multùm poterit intestina discidia, neq; reformidare, si qua uis inferatur extrinsecus. Quod vero spectat ad rerum gestarum amplitudinem, cur ijs maior, florentiorq; Monarchia, quàm

Reſpublicæ videantur, equidem non video. Nam Lacedęmoniorum, & Athenienſium maximę res geſtæ; Carthaginienſes bellicoſiſſimi, potentiſſimiq; fuerunt; & priuſquam ciuilibus armis opprimeretur, Romana Reſp. latiſſimè imperium protulit, tantumq; bellicę laudis ſibi comparauit, quantum nulla florentiſſima Regna vnquam ſunt adepta. Nullum verò eſt adminiſtrationis ciuilis tàm abiectum genus, in quo non ſit aliqua facultas, aliquod præſidium, & conſeruandi res proprias ab illata vi, &, ſi res ferat, inuadendi etiam alienas. Quamuis hanc rem Ariſtoteles Polit. lib. VII. non ita magni faciat, & latius imperij propagādi ſtudium magis damnet, quàm laudet: qua de re diſputandi non eſt hic locus. Satis eſt nobis rerum bellicarum gloriam huic magis, quàm illi adminiſtrationi ciuili

non esse propriam, sed omnibus cõmunem, & in medio positam; neq; verò infixam, neq; innatã ipsis, sed adiunctam extrinsecus. Obijcientibus autem liberas ciuitates, & liberos populos, si fortè seditio, aut graue bellum immineret, ad imperium vnius confugere solitos, siue Archõtis, siue Harmostæ, siue Dictatoris; respondendum erit, vniuersam rationem imperij gerendi contineri duabus rebus, atq; omninò absolui, deliberando nimirum, ac exequendo: illud autem non modò caput esse rerum gerendarum, sed etiam præcipuam imperij vim sibi vendicare; hoc obsequendi primum, atq; adeò parendi; eatenus quoq; imperandi partes sustinere, quatenus prius illud spectat, vnde totum pendet; peculiarem verò consultandi, & prudẽtię laudem, quemadmodum fuit expositum, esse Rerum publicarum.

Quantum ergò vnius auctoritatem ad res exequendas, tantum conferre grauissima optimatum consilia ad capiendas deliberationes, nec non iudicandum. Nam Regibus quoq; prudentia vel insigni prę ditis adhibendos in consilium viros prudentissimos; quod certè Reipublicæ quandam speciem habet: idcircò nihil mirum videri oportere, si quis attribuatur vsus Monarchiæ ijs obeundis, ac peragendis, quæ decreta fuerint. Res omnes ita profectò natura se habere, vt ope mutua indigeãt, atq; societate. *Nullum est genus rerũ*, inquit in III. de oratore M. T., *quod aut auulsum à ceteris per se ipsum constare, aut quo cetera si careant, vim suam, atque æternitatem conseruare possint.* Itaq; post consultationes, ac deliberationes, in quibus elucescit ipsa imperij maiestas, Dux aliquis deligendus spectatæ fidei, cui

mandetur prouincia, aut negotium gerendum. Nam pluribus idem cõmittere est perniciosissimum, præsertim æquato imperio, atq; potestate: neq; aliud certè sibi vult decantatũ illud Iliad. B.

ὀυκ ἀγαθὸν πολυκοιρανίη. ἕις κόιρανος ἔσω·
ἕις βασιλέυς·
Multos dominari non expedit; vnus esto dominus,
Vnus esto Rex.

Quippe sunt variæ, discrepantesq; hominum sentẽtię, sũt cuiq; sua studia; & pro insita cupiditate, qua facilè ducitur, non sẽper habet idẽ propositum, sed alia, atq; alia: eius autem, quem parem, & ęqualem putat, acquiescere consilijs vel optimis sibi turpe ducit; immò sæpe, ne minus sapere videatur, contraria iubendo, rerum gerendarũ cursum interturbat. Quibus incommodis, at-

que

que malis vt obuiam eatur, si quod consilium maturè fuerit exequendũ, præstabit eximia virtute, & fide aliquem deligere, qui summo imperio præsit, & omnia moderetur. Id nihil officiet Reip. benè constitutę, pręsertim quæ non diuturna imperia, sed ad tempus tribuit; & certa quadam ratione temperata, non immensa, & libera. Si quis autem etiam hoc putat non abesse à periculo, is velim consideret, nihil in rebus humanis adeò tutum esse, quin aliquid suspicionis, & timoris habeat. Regibus etiam ipsis hoc verẽdum fore, ne à se deficiant constituti Proreges, ac duces: illud etiam magnopere formidandum, ne sua consilia prodantur hostibus per eos, quibuscum oĩa conferre necesse habent. Non enim minus in Regno, quàm in Rep. possunt aliqui largitione corrũpi, & ab alijs emi, & quidquid Lipsius Moni-

tò V. dicat, venale nihil nõ habetur, dummodo ſit, qui velit impendere ſumptus, & laborem. Sed his omiſſis ad reliqua pergamus. Quarta præſtantiſſimi regiminis conditio diuturnitas erat, quam Monarchiæ potiſſimùm Lipſius Mon. VI. ſuffra gio ſuo defert: ipſius enim hoc moni nitum; *Maximè hanc imperij formã diurnare*. Quin diuturnitas argumento ſit præſtantiæ, dubitari non debet: non tamen vſq; quaq; ſed ex parte quadam: alioqui cerui, cornices, multęque adeò ſtirpes, quæ lõgius vitã ſuã producũt, quã hoĩes, longè præſtarent ipſis; qua re quid abſurdius? Veruntamen cum ſatis, ſuperque diſputatum fuerit, & rationibus firmiſſimis comprobatũ, optimè conſtitutas Ariſtocratias de ſuo ſtatu non ita facilè declinare, vt regna; ex his oportet fieri, vt diutius vigeãt, & longius omnem vim

fe-

ferãt quaſi ingraueſcẽtis ętatis. Neq; verò his rationibus exẽpla ſua desũt. Nam de Rep. VENETA res eſt in comperto, neq; vel Lipſius ipſe refragari audet: Bodinus tamen contra neſcio quid obgãnijt, cuius ineptias alibi confutauimus. Quid? Quod Lipſius hoc ipſum de nonnullis prędicat, quas nominatim non exprimit, paruas tantùm vocat, *validiorũ tuitione, aut amicitia firmas*. At exempla diuturnitati Monarchiæ adſtruẽdæ per eũdẽ adducta, neq; apta, neq; ſincera, neque certa ſunt; inclinarint ne ad tyrannidem, quàm ad regnum verius: & licet hiſtoriarum magna ſit varietas, vt Perſę tamen, ita Medi comperiũtur paulò plus annis ducentis imperio potiti, cum ipſa Romana Reſp. plures quadringẽtis, & Spartana quingentis admodum viguerint. Aſſyriorum autem res geſtę fabuloſæ ſunt, & fateri co-

gimur, nisi si diuinis litteris minorē fidem habemus, quàm Ctesię Gnidij fabellis, vnde ceteri hausere, potentissimos maximosque Reges Assyriorum, quales imperium aut Niniuiticum, aut Babylonicum tenuisse legimus, ante Dauidis Regis tēpora nullos extitisse. Nam Sobæ reges, quo nomine sacra Biblia eos vocant, Iosephus autem in antiquitatibus libr. VII. cap. V. & VI. appellat Sophenæ, quæ Strabone teste li. XI. maioris Armeniæ pars est, inter Antitaurum, atq; Taurum vltra Euphratem sita; huius inquam regionis opulentissimi, ac florentissimi reges in Mesopotamia latissimè tunc dominabātur, quando ibi Dauid Rex multa bella gessit, diuinaque ope adiutus prosperè confecit, non semel eorum copijs fœdè profligatis, imperij quoque sui finibus ita propagatis, vt Euphratem traijceret, atque hostes in

intri-

intima claustra regni compelleret fugientes, vt est in li. Reg. II. cap. VIII. & X. Paralip. cap. XIIX. & XIX. Sed hæc, & multò plura cōplectetur nostra disputatio de quatuor Monarchijs Danielis aduersus Bodinum. Ratiocinatio illa modò examinanda, quæ colligit diuturnitatem ex maiore vnitate. Sed quanam ratione imperium vnius dicunt vnum? Vtrum, quia nihil habet insitum, quod ab eo seiungi, nullasque partes continet, quæ diuelli possint? An quia licet ex partibus multis constet, eę tamen referuntur oēs ad vnum aliquid? Priori modo *Vnum* sonat idem, quod indiuisibile: sed hoc vix in aliud cadit, quàm in ipsum Deum. Nam cetera omnia sunt coagmentata ex pluribus partibus, si non quantis, aut Physicis, saltem Metaphysicis. Altero vero modo si sumatur *Vnum*, notabit quendam

dam

dam cumulum, seu coaceruationem; in scholis vocant vnitatem aggregationis; qua dici non potest Regnum magis vnum, quàm Respublica. Si quidem omnia tendunt ad vnũ utrobiq; non certè ad vnum quid solitarium, atq; singulare, cuiusmodi est persona vnius Regis, atque summi Principis; alioqui duo, velint, nolint coguntur admittere; Alterum nihil esse in Regno constantiæ, nihil firmitatis, siquidem status eius, atq; tota vis aliunde non pendet, quàm ex vnius hominis incerta, fragiliq; vita, vicissitudinibus, ac periculis tot, tantibusque obnoxia: Alterum nihil amplius superesse discriminis, quo Regnum à tyrannide secernatur; si non ad aliquid commune, verùm ad imperantẽ primò, ac per se referenda illius quoq; ratio. Non est ergò vnitas ciuilis administrationis ex ijs, qui rebus præsunt, vnquã
æsti-

æstimanda (nam plures, an vnus præsit, nihil planè refert) sed ex fine, ordineque ciuili spectari debet, sine quo regimen planè nullum potest esse: quo fit, ut optimo iure ordo ipse ponatur in administrationis ciuilis definitione. Continet is præcipuè, atq; adeò deuincit imperantes, atque parentes mutuo quodam nexu; singula quoq; membra, siue partes, eò minus dissociandas, atq; distrahendas, quò arctiùs inter se coierint colligatæ, & cõiunctæ. Hoc igitur aduersarijs probandum fuerat vsu venire, potius in Regno, quàm Aristocratia; & hac ratione maior adstruenda vnitas, nõ autem ex imperantis singulari persona. Veruntamen ad hoc expeditum, atque obuium sunt propterea delapsi, quãuis ad vnitatem probandam nihil prorsus faceret, quia prius illud statuere facilè non erat. Nam cum ita

natura comparatum ſit, vt non eadem conſtantia, neq; caritate res alienas, atq; noſtras propugnemus: quis non videt vniuerſos ordines, & ſingulos ciues, alacritatis ad pericula quęq; propulſanda, concordięque ad imperium tuendum eò plus allaturos, quò magis eius participes, atque compotes fuerint? Ad hæc opus quodcumque magnum, ac difficile, cuiuſmodi nulli dubium, quin ſit imperare, multò commodius, quàm vnus, plures moliuntur, multòque plus omnes uirium in commune conferunt ad onera grauiſſima omnia ſuſtinenda, quibus vnus par eſſe non niſi ęgrè poſſet. Ariſtotelis quidem lib. III. Politic. ſententia hæc memoratu digna.

ἀλλὰ μὴν ȣ̓δὲ ῥᾴδιον ἐφορᾶν τὸν ἕνα· δεήσει ἄρα πλείονας εἶναι τȣ̀ς ὑπ' αὐτȣ̃ καθισαμένους ἄρχοντας· ὥστε τί διαφέρει τοῦτο ἐξ ἀρχῆς εὐθὺς ὑπάρχειν,

χειν, ἢ τὸν ἕνα καταστῆσαι τιοῦτον τὸν τρόπον. *Verumtamen quia vnus omnia intueri nequit, plures ab eo principes constitui oportebit. Quid igitur interest, vtrum statim id initio fiat, an vnus Princeps hac statuatur conditione?* Quandoquidem vtrolibet modo fieri non potest, quin ab vno res pendeat summo principatu. Exigit autem ratio, vt is rectiùs administret, qui propriam, atque legitimam gerit potestatem, quàm qui precariam ex alterius incertissimo arbitrio. Quicunq; porrò Monarchiam vsque eò protendunt, vt nihil accidere posse opportunius prędicent, quàm si omnia simul & Rerump. & regnorum iura in vnum supremum principem transferantur, cuius imperio contineantur omnes gentes; vbicunque sedem fixerint huic suo Imperatori, siue in Italia, siue in Gallia, siue in Hispania, non video, quibus ratio-

nibus perſuadeant fore, vt extremis orientis prouincijs ille meliùs conſulat, quàm proprij Reges, atq; Principes ſingularum regionum, qui aſſiduè, iugiterq; rebus omnibus interſunt non modo αὐτόπται, ἐπίκουροι, συνεργοὶ, *coràm inſpectores, adiutores, adminiſtri*, verum etiam moderatores, ſupremiq; arbitri, vt nihil opus ſit aliena edicta, atq, iuſſa ex disiunctiſſimis, atq; remotiſſimis locis præſtolari. Sed ad prius inſtitutum noſtrum redeamus. Oſtendimus, in quo ſita ea vis vnitatis, quæ ciuilem quamque ſocietatem ornat, ac tuetur, ſtabilitque ad longiſſimi temporis diuturnitatem. Nam quod eſt vnum, hoc eſt vnicũ, atq; ſolitarium, id imbecillius, ac proinde minus diuturnum: quæ verò connexa inuicem, compactaque ſunt, tantò plus habent roboris, atq; firmitatis, quantò validior eſt colli-

gatio,

gatio, atq; partium nexus. Talis est Reipublicę VENETÆ constitutio ex optimis quibusque rationibus ita temperatæ, vt apta, & conuenientia inter se omnia constent. Hinc mirificus ille consensus omniũ ciuium in eadem tuenda, qui nullis hactenus dissidijs, atque seditionibus, nullis hostium vel conatibus, vel insidijs labefactari vnquam potuit. Et quemadmodum stabilis permanet adhæc vsq; tempora, ita Deo propitio, ac volente perstabit in posterum, durabitq; ad multas ętates florens omnibus copijs. Examinanda modò superest vltima conditio, gubernationis facilitas, hoc est expedita ratio. Sed priusquàm diluantur obiecta, quę superius adduximus, refellenda quędam argumentatio ab Isocrate in Nicocle sumpta, cuius hęc ipsa sunt verba de Monarchia. *καὶ πρᾳοτέραν τοσούτω, καὶ*
 δικαιο-

δικαιοτέραν δικαίως ἂν αὐτὴν εἶναι κρίνοιμεν, ὅσω περ ῥᾶόν ἐστιν ἀνδρὸς ἑνὸς γνώμῃ προσέχειν τὸν νοῦν μᾶλλον, ἢ πολλαῖς παντοδαπαῖς διανοίαις ζητεῖν ἀρέσκειν. *Eò ipſam faciliorem, & æquiorem iure cenſuerimus, quò facilius eſt accommodare mentem ad vnius viri ſententiam, quàm conari multis, atq; multiplicibus ingenijs placere.* Hæc ratio non magis ad facilitatem pertinet, quàm ad vnitatẽ: ſed non minùs eſt fallax, quàm ſuperior altera. Pluribus enim, quatenus plures, ac diuerſi ſunt, inſeruire admodum difficile; neq; aliud ſibi vult illud in Euangelio Matthæi cap. VI. *Nemo poteſt duobus dominis ſeruire*, nimirum diſſentientibus, & contraria iubentibus. Quid verò ſi contraria non iubeant, ſed probè conſentiant, & in vnum conſpirent omnes, vt par eſt, optimates? Vnũ quidem corpus eſt Reipublicæ benè

constitutę: vnitas porrò sumi debet à fine, & à forma, non ab agente, neq; à materia, ut Philosophi docent. Cum verò in optimum, atq; rectum multitudo conspirans, (vt non magis ex Aristotelis sententia, quàm ex ipsa veritate definitum est) multò minus fraudibus pateat, atq; corruptelis, quàm mens vnius hominis, commodè possumus aduersariorum tela in ipsos conuertere, quandoquidem magis expeditum, atque tutum est, obtemperare vni Reipu. rectè sentienti, cuius æquissima, & grauissima solent esse decreta, quàm unius hominis voluntati, atque arbitrio subijci, quod nullo negocio huc, atque illuc impelli potest, & multis occasionibus deprauari quantumuis rectum. His tanquam subsidijs aduersariorum fortiter reiectis, aggrediamur eos rectà, qui differere audent; facilius ab vno,

quã à multis id imperij onus, quod Ætna grauius existimatur, sustineri posse. Certè Moses vir præstantissimus diuino pręsidio fultus, egregijsque ornamẽtis plurimis instructus, huic nequando succumberet, tamen verebatur; ideòque sibi munus impositũ populi regendi, priusquàm cõstitueretur Hebræorum Resp. obire cum desperaret solus, tandem recusauit. *Cur afflixisti* exclamabat ac Deum Num. cap. XI. *seruum tuum? Quare non inuenio gratiam coram te? Et cur imposuisti pondus vniuersi populi huius super me.* Et mox *Non possum solus sustinere omnem hunc populum, quia grauis mihi est.* Vtrum in eo Moses aliquid peccarit, quod visus fuerit aliquantulum diuinę sapiẽtiæ diffidere, unde multę satis illi vires suppeditabantur, temerè, atq; inconsultè iudicare nolim: arguit certè id summam quandam rei difficulta-

tem,

tem, vt nisi præcipuam opem Deus ipse ferat, immò etiamsi ferat, atque eo planè modo, quo Mosi adesse cõsueuerat populum regenti; tamen difficile, & graue ad huc opus videatur, vnum hominem prout decet, omnia rectè moderari. Ideoq; Deũ obsecutum Mosi pręcepisse legimus, vt septuaginta viri diligerentur, vt ætate, sic etiam vsu rerum maximo præstantes; *Vt sustentẽt*, inquit, *tecũ onus populi, & non tu solus graueris.* Quo fit, ut auctoritatem Isocratis nihil morer, aut si qui alij gubernationis facilitatem Monarchiæ tribuũt. Neq; verò me Augusti factum, aut consilium mouet, qui audita disputatione benè longa amicorum non idem sentientium, atq; suadentium, Monarchiam, quam gerebat, statuit retinere. Assueuerat enim iampridem vnus imperare; quare non nisi grauatè poterat imperium depone-

re, & fortasse minime tutum id existimabat. Alij quorum gratia scribebant, auribus plurima dederunt, & non protulerunt ex animo, quid verè sentirent. Nam quod vrgent quidam, maioris negocij fore, eximia prudentia plures inuenire, quàm vnum: certè constat longè faciliùs, multa mediocria, quàm vnũ aliquid numeris omnibus absolutum, quodque diuinum sit potius, quàm humanum, reperiri posse. Si vnus tantum præfuerit, opus eidem fore exquisitissima prudentia, summaq; virtute; sic enim omnes Philosophi rem concludunt: mediocritatem porrò sufficere in Rebuspublicis, vbi alter alterius ope plurimum iuuatur, mutuaq; cum prudentia, tum industria sese ingenia exacuunt. Dicet vtiq; hic aliquis, etiam summo Principi non defuturos prudentes cõsiliarios, quorum fideli opera commodè vti

queat.

queat. Atqui sapientissimus Rex quidam prædicare solebat, instar cõspiciliorum regibus esse consultores: veruntamen inter reges valdè fore miserum, cui nisi adhibitis conspicilijs cernere non detur. Præterea sũt repetenda, & reuoccanda in memoriam, quæ superius dicta fuerunt, atq; comprobata; vt puta, hominũ præstantissimorum penuriam adhuc rudi seculo, instituendæ Monarchię primum causam præbuisse, Reipublicæ verò postmodum magnã eorum copiam: hanc excellenti naturæ hominum conuenire quàm maximè; illam naturæ imbecillitatem, & vitium arguere: postremò, si res pro votis succedere debeat, magis optandum, quod deceat magis, atq; expediat, vt multi per quàm insigni virtute, & ingenio, & non vnus vir tantum sit vbiq; gentium: sin autem quod est magis parabile immò ha-

betur ad manum, contenti ſumus hoc inuento, nec amplius requirimus; multò plus ingenij, & virtutis pluribus, quàm vni à ſumma Dei ſapientia tributum videmus. Atq; vt vnum poſſe aliquando exiſtere faciamus, in quem collata fuerint vbertim, immò copioſiſſimè vniuerſa ornamenta corporis, atq; animi, quorum gratia digniſſimus ſit imperio; tamen is aut latere poteſt, aut iacere deſpectus; aut ſaltem deſtitutus iis viribus, atque opibus, quæ neceſſariæ ſunt ad comparandum imperium: & ſi eò faſtigij perueniat, fieri nullo modo poteſt, quin exiguo curriculo eius vita definita ſit, & qualemcunq; ſors dederit, habere ſucceſſorem oporteat: cum tamen optimorum ciuium pari virtute, & induſtria, ijſdemq; prorſus inſtitutis continuatæ Reſpublicæ immortales quodammodo haberi poſſint.

Quod autem quidam ex aduersarijs vereri sese aiunt, ne publicę res à pluribus negligantur, & habeantur eo loco, quo sunt alienę: hoc minime cadet in optimã Rempublicam; quinimmò ratio ipsa docet, atq; experientia, homines liberos multò laudis appetentiores, & ad præclara facinora promptiores euadere, proptereaquòd amplitudini suæ, atque dignitati, non alienæ sese intelligunt nauare suam operam, & serere, quod ipsi metant opportunè, non alij. Quibus rebus vehementer illos inflammari oportet, & ad publica munera probè, decenterq; obeunda singularem animi fortitudinem, & constantiam afferre. Si quid porrò habent vitij annui magistratus, id aut aliqua temporis prorogatione, aut iterata electione tolli facilè potest, quẽadmodum VENETIIS fieri cõsueuit, vbi triplex Collegium qua-
dra-

dragintavirale, quò sunt à magistrati-bus minoribus prouocationes, biēniū iuri dicundo ea ratione impendit, vt bis octonos menses vacet ciuilibus rebus, primum quidem prouincialibus, deinde verò vrbanis; postremos tandem quæstionibus capitalibus tribuat: quin etiam iterare hoc muneris, quoties libet, datur, non tamen cōtinuare sine intermissione. Tale quid vix concedi solet, præterquàm Senatoribus, ea tamen lege, vt quotānis iteretur electio, subijciāturque singuli ciuiū suffragijs, quod in maioribus comitijs fieri consueuit. Quod attinet ad contentiones, atq; simultates, præter ea, quæ superius dicta multa sunt, vigilandum erit omnibus ijs, qui præsunt Reipublicæ, ne quid accipiat hinc mali, atque detrimenti. Quin inter ciues dissensiones aliquando oriantur, equidem vix, ac ne vix quidem fieri posse

posse existimo: sed ipsarum discordiarum semina subitò tollenda, ne qua labes alios attingat, dum promanant latius. Quare sapientissimè VENETIIS institutum videmus, si quæ intercedant concertationum causæ inter aliquos ciues, vt statim atque summi Decemuirum præsides resciuerint, edicant, ne partes ante domo pedem efferant, quàm ipsius Magistratus amplissimi auctoritate interposita, sibi mutuas offensas condonent, atque in gratiam redeant. Ita verò contentionibus cunctis facile sopitis, id VENETA Respub. consecuta est, quod hactenus non memoratur vlli contigisse alteri, vt à ciuilibus seditionibus libera, atque tuta, supra mille ducentos propè annos tranquillissimè exegerit. Itaque non desunt, neque deerunt vmquam sapientissimis viris, cuiusmodi sunt non tantum no-

mi-

mine, sed re ipsa ἄριστοι *optimi* cùm seditiones, & turbas omnes compescendi egregię rationes, tum corrigendi, si non penitus euellendi ea vitia, quæ rebus omnibus humanis permissa sunt adhærescere, vt cuncti disceremus eas non magni facere, nostraque studia, & conatus conuerteremus ab hisce terrenis, & caducis, quæ non sunt integra, & perfecta, ad æterna, & cœlestia quàm absolutissima. Sed omnibus incommodis, & vitijs Aristocratiam euidentissimis argumentis ostēdisse me arbitror obnoxiam multò minus, quàm Monarchiam, & propter multas, & magnas vtilitates magis expetendam, atque vti naturæ magis congruam iure præferendam. Obiectiones, siue rationes aduersariorum apta responsione, ni fallor, omnes confutatæ sunt, aut certè potissima fundamēta labefactata, quibus Monar-

narchia niti maximè videbatur. Si qua fortè prætermiſſa, aut elapſa è memoria, hæc aut non ita magni momenti ſunt, aut quàm facillimè poterunt ex dictis refelli.

FINIS.



Patauij ex Typographia Laurentij Pasquati. 1611.

Superiorum Permissu.

Parmæ ex Typographia Era-
smi Viothi. [illegible]

Superiorum Permissu.